

GERGŐ GELLÉRFI

BARTOLOMEO DELLA FONTE:  
ANNOTATIONES IN IUVENALEM  
INTRODUCTION AND TEXT

Bartolomeo Fonzio (B. della Fonte, Bartholomaeus Fontius), the 15th-century Italian humanist and professor at the University of Florence, who had Hungarian connections as well,<sup>1</sup> gave a lecture series on Juvenal in 1487, which may have been his answer to his archenemy's, Angelo Poliziano's<sup>2</sup> public lecture on the satirist that had taken place two years earlier. A few years later, Fonzio wrote the *Annotationes in Iuvenalem* containing his observations on the first six Satires of Juvenal. The work was dated to 1489–1490 by Marchesi, the author of the only monograph on Fonzio,<sup>3</sup> and this dating has been accepted by Sanford, among others.<sup>4</sup> However, the date 1489–1490 seems to be unacceptable, and 1492, the publication date of Antonio Mancinelli's *Familiare commentum* can be designated as the *terminus post quem* of the *Annotationes*.<sup>5</sup> The work fits well into the Quattrocento's increased interest in Juvenal, which can be traced back to various causes: the enigmatic nature of his poems, the popularity of contemporary satire, and the suitability for the exposition of the commentators' own erudi-

<sup>1</sup> Cf. TAKÁCS, L.: Bartholomaeus Fontius and His Works in the Bibliotheca Corviniana of King Matthias. In KOVÁCS, P. – SZOVÁK, K. (eds.): *Infima aetas Pannonica: Studies in Late Medieval Hungarian History*. Budapest 2010, 294–308.

<sup>2</sup> On Fonzio and Poliziano, see DANELONI, A.: Tra le carte di Fonzio: nuove testimonianze dell'Expositio Iuvenalis del Poliziano. In GARGAN, L. – SACCHI, M. P. (eds.): *I Classici e L'Università Umanistica: Atti del Convegno di Pavia 22–24 novembre 2001*. Messina 2004, 507–607.

<sup>3</sup> MARCHESI, C.: *Bartolomeo Fonzio*. Catania 1900, 125.

<sup>4</sup> SANFORD, E. M.: Renaissance Commentaries on Juvenal. *TAPhA* 79 (1948) 106; SANFORD, E. M.: Juvenal. In KRISTELLER, P. O. (ed.): *Catalogus translationum et commentariorum: Medieval and Renaissance Latin Translations and Commentaries I*. Washington 1960, 227.

<sup>5</sup> For more details, see GELLÉRFI, G.: Scholarly Polemic: Bartolomeo Fonzio's Forgotten Commentary on Juvenal. In ENENKEL, K. A. E. (ed.): *Transformations of the Classics via Early Modern Commentaries*. Leiden 2013, 114. Cf. DANELONI (n. 2) 529–530.

tion.<sup>6</sup> From the middle of the century, some prominent Italian humanists dealt with Juvenal: Guarino da Verona, Giovanni Tortelli,<sup>7</sup> Gaspare Veronese, Angelo Sabino, Domizio Calderini, Giorgio Merula, Giorgio Valla, as well as the aforementioned Poliziano, and Mancinelli, among others.

Fonzio's *Annotationes*, dedicated to Lorenzo Strozzi,<sup>8</sup> is preserved in one manuscript only (Florence, Bibliotheca Riccardiana, codex 1172). It has never been published, and it is not mentioned by later commentators either. Concerning the work's characteristics, we must first observe that Fonzio's main purpose was to question and refute earlier views, since he cites the opinions of other scholars in the case of every examined *locus*. Valla, Merula, and Calderini play the most important role in the *Annotationes*, as the whole work seems to have been written as an attack against them. Although Angelo Poliziano was a bitter enemy of the author, he is much less important for the *Annotationes*, as he is mentioned only three times. Fonzio's aggressive tone, which can be observed in the disputation and vituperation of his rivals, makes the work peculiar. Some of his comments on Merula, Giorgio Valla, and Poliziano are very offensive, and he even gets personal on a few occasions. However, his attitude toward Calderini is different, as he always speaks about him in a tone of respect, and he never makes sarcastic comments about him or his views. Moreover, Fonzio's *Annotationes* is not only a peculiar and unpublished Renaissance commentary, but also has philological value. Comparing his refutations with modern views,<sup>9</sup> there are only two passages out of the seventy-one where modern scholars accept the opinion that Fonzio rejected. Thus, regarding the criticism of his contemporaries, Fonzio's work is almost perfect in the light of modern views.

In the present edition, Fonzio's text has remained almost unchanged apart from a few necessary emendations and the use of capital letters that is inconsequent in the case of proper names and titles. {Braces} indicate the author's insertions except in cases when the insertion only corrects a typo. <Angle brackets> indicate a text deleted by the author, if necessary. Ancient texts are quoted in italics; line breaks are marked with a slash. Within the quotes, the variants of modern editions are represented in [brackets] unless the difference is merely orthographical. The differences in interpunctuations are marked only if the given difference also influences the meaning. The modern editions used are listed below.

Ammianus, *Rerum gestarum libri qui supersunt* (in 2 vols). Ed. W. SEYFARTH. Leipzig 1978.

*The Aratus* ascribed to Germanicus Caesar. Ed. D. B. GAIN. London 1976.

<sup>6</sup> SANFORD (n. 4) 96–97.

<sup>7</sup> SANFORD, E. M.: Giovanni Tortelli's Commentary on Juvenal. *TAPhA* 82 (1951) 207–218.

<sup>8</sup> Daneloni identifies 'Laurentius Stroza' as Lorenzo di Filippo Strozzi (1489–1549); see DANELONI (n. 2) 530.

<sup>9</sup> Examining the achievements of Fonzio, I have compared his views with the two most recent full commentaries on Juvenal, Braund's commentary on Book 1, as well as the translation and notes of Ramsay's Loeb Classical Library edition: COURTNEY, E.: *A Commentary on the Satires of Juvenal*. London 1980; Juvenal: *The Satires*. Ed. J. FERGUSON. New York 1982; Juvenal, *Satires, Book I*. Ed. S. M. BRAUND. Cambridge 1996; *Juvenal and Persius*. Ed. G. G. RAMSAY. London – Cambridge 1961.

- C. Iuli Caesaris *Commentarii*. Vol. 3. Ed. A. KLOTZ. Leipzig 1927.
- Catullus. Ed. G. P. GOOLD. London 1983.
- Cicero, *Epistulae ad Familiares*. 2 vols. Ed. D. R. SHACKLETON BAILEY. Cambridge 1977.
- De verborum significatu quae supersunt com Pauli epitome*. Ed. AE. THEWREWK DE PONOR. Budapest 1889.
- Fragmenta Poetarum Latinorum Epicorum et Lyricorum praeter Ennium et Lucilium*. Ed. W. MOREL. Leipzig 1927.
- Q. Horati Flacci *Opera*. Ed. F. KLINGNER. Leipzig 1959.
- M. Valerii Martialis *Epigrammaton Libri*. Ed. W. HERAEUS – J. BOROVSKIJ. Leipzig 1976.
- P. Ovidi Nasonis *Fastorum Libri Sex*. Ed. E. H. ALTON – D. E. W. WORMELL – E. COURTNEY. Leipzig 1978.
- Ovid, *Metamorphoses* in Two Volumes. Ed. F. J. MILLER – G. P. GOOLD. Cambridge 1977–1984.
- A. Persi Flacci et D. Iuni Iuvenalis *Saturae*. Ed. W. V. CLAUSEN. Oxford 1959.
- Petronius, *Satyrica*. Ed. K. MÜLLER – W. EHLERS. München 1983.
- C. Plini Secundi *Naturalis Historiae Libri XXXVII*. Vols. 1–5. Ed. C. MAYHOFF. Leipzig 1892–1909.
- C. Plini Caecili Secundi *Epistularum Libri Decem*. Ed. R. A. B. MYNORS. Oxford 1966.
- Poetae Latini Minores*. Vol. 2, Fasc. 2. Ed. F. VOLLMER. Leipzig 1923.
- M. Fabi Quintiliani *Institutionis Oratoriae Libri Duodecim*. Vols. 1–2. Ed. M. WINTERBOTTOM. Oxford 1970.
- C. Suetoni Tranquilli *Opera*. Vol. 1. Ed. M. IHM. Leipzig 1908.
- Cornelii Taciti *Annalium Ab Excessu Divi Augusti Libri*. Ed. C. D. FISHER. Oxford 1906.
- M. Terenti Varronis *De Linguae Latinae Quae Supersunt*. Ed. G. GOETZ – F. SCHOELL. Leipzig 1910.
- Gai Valeri Flacci Setini Balbi *Argonauticon Libros Octo*. Ed. W.-W. EHLERS. Leipzig 1980.
- P. Vergili Maronis *Opera*. Ed. R. A. B. MYNORS. Oxford 1972.

[11<sup>r</sup>] BARTHOLOMAEI FONTII ANNOTATIONUM IN IUUENALEM  
AD LAURENTIUM STROZAM

*Liber primus*

In uita Iuuenalis referenda {Laurenti carissime} parum constat Georgio Merulae relegatum propterea eum fuisse, quod Paridem pantomimum taxauerit. Vnde eos requirit scriptores, quorum testimonio quidam freti id scripserint. Quod a Sidonio Apollinari facile datur intellegi post Nasonis exilium, licet suppresso nomine, aperta tamen circumlocutione Iuuenalis relegationem his carminibus referente. *Non qui tempore Caesaris secundi / Aeterno incoluit Tanin [Tomos] reatu. / Nec qui consimili deinde casu / Ad uulgi tenuem strepentis auram / Irati fuit histrionis exul. [ad Magnum Felicem consulem. 269–273]* Sed et Georgius Valla illud ulterius addidit, non potuisse propter Paridem in exilium mitti, quando, ut Suetonius scribit [*Dom. 10*], Domitianus infestus Paridi fuerit, ignarus profecto quot uel ad breue tempus in aulis principum fiant mutationes. Nihil enim obstat, si aliquo tempore Paris Domitiano ingratus fuit, non propterea exilii poetae causam non fuisse, quo tempore gratiosus ad eum fuerat. Plurimum uero opibus et gratia {apud Domitianum} ualuisse tertio in libro de Statio loquens noster poeta sic refert. *Sed cum fregit subsellia uersu / Esurit intactam Paridi ni uendat [nisi uendit] Agauen. / Ille et militiae multis largitur [largitus] honorem / Semenstri uatum digitos circumligat auro. / Quod non dant procere dabit histrio. [7, 86–90]* Quibus iniuriis carminibus cum aperte Paridem histrionem laeserit, iratique histrionis exulem poetam Sidonius dixerit, superest in gratiam Paridis {a Domitiano} Iuuenalem in Egyptum missum esse.

[1. 1] Nunquamne reponam? Domitius reponere pro eo quod est reficere et resarcire iacturam temporis audiendo amissi interpretatur. Merula uero Tortellium in dictione prologus<sup>10</sup> imitatus {et Antonius Mancinellus Tortellium ac Merulam subsecutus} reponere pro eo quod est scribere accipi {un}t. Equidem par pari reddere intellego et uicissim stomachum facere. Nam cum toties uexatus sit recitatione nimia poetarum, et ipse aliquid scribens uult parem uicem referre, ut consimili tedio et audiendi molestia agitentur. Vicissim autem referre quippiam hoc uerbum significare Tullius ad Lentulum de Vatinio teste scribens ita ostendit. *Cur autem laudarem, peto a te, ut id a me neue in hoc reo, neue in aliis requiras, ne tibi ego idem reponam cum ueneris, tametsi possum uel absentem.* [Cic. *fam.* 1, 9, 19] Valla quidem Georgius [11<sup>v</sup>] multas huius uerbi significationes cum attulisset, tandem sententiam suam exprimens ait. Repono scribo. Horatius. *Scriptor honoratum si forte reponis Achillem.* [Hor. *Ep.* 2, 3, 120] Ita et hic exponendum. In quo sane dupliciter aberrasse uisus est. Primum quod Horatii mentem parum aduertit admonentis, ut quomodo prius ab Homero Achilles descriptus est, ita et reponatur, hoc est iterum scribatur, Quod non est scribere, sed rescribere. Deinde, quod stomachum et indignationem poetae in uerbo reponam ex subsequenti uexatione non prospexit.

<sup>10</sup> Fontius nomine 'prologus' declinationem quartam pertinenti usus esse uidetur.

[1. 3] Impune ergo mihi recitauerit ille togatas. Domitius impune, passim Merula sine ui et effectū, Valla incassum et frustra legunt. Et aequae omnes Horatium adducunt ad Iulium Florum secundo epistolarum uolumine sic scribentem. *Multa fero ut placem genus irritabile uatum, / Cum scribo et supplex populi suffragia capto. / Idem finitis studiis et mente recepta / Obturem patulas impune legentibus aures.* [Hor. Ep. 2, 2, 102–105] Quo in uerbo apud utrumque uatem aberrasse tantos admiror uiros. Nos quidem Iuuenalis prius, mox Horatii mentem aperiemus. Mos est scribentium carmina sibi ipsis nimis placere, suos uersus amare et crebra eorum recitatione gaudere. Vnde uero in postremis urbanis molestiis {et} Augusto recitantes mense poetas Iuuenalis in tertia satyra posuit, et Persius in prima haec recitandi reprehendit studia et Horatius in eadem epistola et recitantium et audientium tedia multa commemorat, et Martialis quibusdam in epigrammatis ad Ligurinum, Potitumque scribens fastidia recitationis ostendit. Quare tanto confectus tedio Iuuenalis indignabundus Ergo ille ait impune {recitauerit} mihi togatas fabulas {hic uero elegos recitauerit}? quasi dicat profecto non sine consimili poena et stomacho recitauerint. Nam et ego quoque cum aliquid scripsero, {cumque} eos ad mea audienda carmina conuocauero, non impune ferent. Consimili nanque tedio uexabuntur. Ergo impune sine poena propria in significatione legendum est non apud Iuuenalem modo sed etiam Horatium. Cuius quidem sententia haec est. Se tanto cum studio et ambitione uates corripantur multa tedia [12<sup>r</sup>] perpeti in eorum carminibus audiendis, seque cum uersus et ipse scribat, supplicem captare populi et multitudinis mox auditurae suffragia. Etenim perfert eiusmodi alios audiendi molestiam, ut ipse quoque uicissim ab illis, cum sua poemata recitat, audiatur. Quod si studium scribendorum carminum finiat et deponat et recepta mente ad meliora conuersus, fauorem populi et applausus negligat, aures suas aliorum recitationibus patulas obturabit impune, quando nihil scribens non sit amplius ad se audiendum quempiam uocaturus, et propterea nullam poenam iis, quibus non applauserit sit daturus. Daret autem poenam, si {ad sua} carmina audienda uocati illi non accederent et par pari referentes suas et ipsi aures obturarent.

[1. 24] Opibus cum prouocet unus Georgius Valla Licinum scribit. Sed cum eo tonde, barbam se posuisse poeta dicat, Licinum qui fuit Augusti temporibus, non debemus accipere. De quo ait Horatius in poeticae.<sup>11</sup> *Nanciscetur enim pretium nomenque poetae / Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam / Tonsori Licino commiserit.* [Hor. Ep. 2, 3, 299–301] Hic quidem Augusti libertus, quia graciosus principi et diues, Suetonio teste fuit [Suet. Aug. 67], facile quosdam adduxit, ut eum Iuuenalis significare uoluerit. Sed Cinnamum tonsorem intelligit, in quem extat lepidum Martialis epigramma septimo eius uolumine. *Qui tonsor fueras tota notissimus urbe, / Et post haec [hoc] dominae munere factus eques / Sicanias urbes Aetnaeaeque regna petisti / Cinname cum fugeres tristia iura fori. / Qua nunc arte graues tolerabis inutilis annos? / Quid facit infelix et fugitiua quies? / Non rhetor, non grammaticus, ludiae magister, / Non cynicus, non tu stoicus esse potes, / Vendere nec uocem scaenis [Siculis], plausumque theatris. / Quod superest, iterum Cinname tonsor eris.* [7, 64] [12<sup>v</sup>]

<sup>11</sup> hic nomen *poetice* a me correctum est.

[1. 36] Et a trepido Thymele submissa Latino. Latinus mimus celebris fuit, de quo Suetonius in Domitiano haec scribit. *Quod cum fieret, euenit, ut repentina tempestate deiecto funere semiustum cadauer discerperent canes, idque ei caenanti a mimo Latino, qui praeteriens forte animaduernerat, inter caeteras diei fabulas referretur.* [Suet. Dom. 15] Sed et Martialis in eum hoc nobile epitaphium edidit. *Dulce decus scaenae, ludorum fama Latinus / Ille ego sum plausus, delitiaeque tuae. / Qui spectatorem potui fecisse Catonem, / Soluere qui Curios, Fabritiosque graues. / Sed nihil a nostro sumpsit mea uita theatro / Et sola tantum scaenicus arte feror. / Nec poteram gratus domino sine moribus esse / Interius mentes suspicit [inspicit] ille deus. / Vos me Laurigeri parasitum dicite Phoebi, Roma sui famulum dum sciat esse Iouis.* [Mart. 9, 28] Hic igitur gratus Domitiano Latinus mimus inter caeteros lusus lenocinia quoque per iocum representabat nobiles feminas mechis subiicere simulans, ac postquam adulterum ad adulteram perduxisset, fingens repente domum redisse uirum, sub cista mechum occultabat, et grande ei malum instare dicens si deprendatur, et sibi quoque adulterii conscio et ministro ingens [13<sup>v</sup>] imminere periculum, unde et a trepido Thymele submissa Latino poeta inquit, hoc est metum et timorem in ea agenda iocosa fabula representante. Quae domi quoque reguli, eius in gratiam a Latino acta est. Hoc autem ita esse datur intelligi ex secundo uolumine ubi ait. *Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla / Vrsidio? si moechorum notissimus olim / Stulta maritali iam porrigit ora capistro? / Quem toties textit perituri cista Latini,* [Iuv. 6, 41–44] hoc est qui {cum} frequentibus adulteriis {quae crebro a Latino aguntur mimo} impudicitiam mulierum cognoritur optime, reque ipsa expertus sit quomodo adulter superueniente uiro occulatur, ducere tamen uxorem cogitat. Sed et in libro tertio in scaenam prodiisse hoc ludicrum ita rettulit. *Finge tamen gladios inde atque hinc pulpita pone [poni], / Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit / Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi.* [8, 195–197] Quin etiam Domitiano pergratam hanc fabulam exstitisse Martialis ostendit in primo libro. *Qua Thymelem spectas, derisoremque Latinum / Illa fronte precor carmina nostra legas.* [1, 4, 5–6] Vbi derisorem cum dicat, aperte admonemur in iocum, lusumque hoc esse quod de Latino ac Thymele fertur accipiendum. Cui etiam illud eiusdem poetae tertio in libro astipulatur. *Sed si Panniculum, si spectas [spectas et] casta Latinum, / Non sunt haec mimis improbiora, lege.* [Iuv. 3, 86, 3–4] Satis ut arbitror ostensum est ioci lususque causa pauentis et sub cista latentis adulteri et lenonis quoque sibi timentis spectaculum actum esse, non autem Latini coniugem Thymelem fuisse, neque Latinum uxoris suae lenonem, ut alii putauerunt interpretes, exstitisse. {Caeterum Thymele prima saltationem in scaena docuit. Vnde et Graeci Thymelen eam theatri partem uocant, ubi gestiunt histriones. Hinc et Thymelici dicuntur ludii atque histriones. Quare in decretis distinctione ultima de consecratione, sacerdotes admonentur de conuiuio surgere debere antequam Thymelici ingrediantur. [Decretum III. 5. 37]} [13<sup>v</sup>]

[1. 40] Vnciolam Proculeius habet. Domitius cum de Horatiano illo Proculeio paterni in fratres animi meminisset, [Hor. Carm. 2, 2, 5–8] statim addidit. Hic pro optimo uiro et minime mentulato ponitur. Cui equidem de penis exiguitate assentio. Sed cum grande facinus adulterium sit, Proculeium hunc adulterum pro optimo uiro poni longe dissentio. Pessimi enim non optimi homines mechis dicendi sunt.

[1. 44] Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram. Hoc inquit Valla in commentariis leges apud Caesarem. Lugduni enim Galli oratores quot annis concionem habere solebant. Considerant in secreto loco. Et qui controuersias habebant, undique conueniebant, eorumque iudiciis decretisque parebant. Disciplina haec in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur. Haec quidem paululum etiam inuersa Valla refert nihil ad poetae propositum attinentia. Caesar enim sexto commentario Gallico de druidis ita scribit. *Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique qui controuersias habent, conueniunt eorumque iudiciis decretisque [decretis iudiciisque] parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse [translata] existimatur.* [Caes. Gall. 6, 13, 10–11] Vides ex Caesare druidas non Lugduni considerare sed in Carnutum finibus longe distantibus. Prospicis nihil de rhetoribus loqui Caesarem. Aduertis ex oratione Caesaris, nihil etiam esse unde ipsi iudicaturi {sacerdotes, sapientesque} druidae expallescant. Quanto igitur satius extitisset Suetonio quam Caesari, quantum ad Iuuenalem pertinet, attendisse in Caligula haec ad uerbum scribenti. *Edidit et peregre spectacula, in Sicilia Syracusis Atticos [asticos] ludos, et in Gallia Lugduni miscellos, sed hoc [hic] certamen quoque Graecae, Latinaeque fa-cundiae. Quo certamine ferunt uictoribus praemia uictos contulisse, eorundem et lau-des componere coactos. Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguaue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine [14<sup>t</sup>] proximo mergi maluis-sent.* [Suet. Cal. 20] Hac proposita poena rhetores ad Augusti aram ad confluentem Araris, Rhodanique ubi Lugdunum est dicturi iure meritoque pallebant miscellis in ludis. De quibus etiam Martianus Capella refert *Miscella sacrae dum feruntur curiae.* [Cap. De nupt. 9, 913] Et in quarto Poeta hic noster uolumine. *Sic ueniunt ad miscel-lanea ludi.* [11, 20]

[1. 46–47] Cum populum gregibus comitum premat hic spoliator / pupilli prostantis. Vtrum in genere dictum sit an spetialiter parum liquet, nisi forsan Cecilium Classicum designauit, qui Norbani pupilli bona fidei et tutelae suae crediti surripuit, tum eum prostituit, ut auctor est Plinius in epistolis. Hactenus Merula. Sed nusquam hoc legitur apud Plinium. Quin immo Norbanus post Classicum obitum ad eius furta et sce-lera indaganda factus est inquisitor, ut ad Minutianum [Minicianum] libro tertio epis-tolarum commemorat, [Hor. Ep. 3, 9] ostendens Classicum uel fortuita uel uoluntaria morte praeuertisse accusationem, cum in eum tota prouincia Bethica, in qua procon-sul fuerat, incubisset. Quare nullo modo Classicum debemus accipere, cum scribat poeta eum uiuere, et Romae etiam uiuere et cum tot gregibus comitum premar, in pretio quoque aestimationeque uiuere uita iam functo Classico atque damnato.

[1. 47–48] At [Et] hic damnatus inani / iudicio. Merula idem sic scribit. Quod in Mario Prisco patuit, qui natione Bethicus Africae praefuit, bonaque prouincialium diripuit immaniter et saeuiter, sed accusatus non pecunias restituit, sed tantum ordine senatorio motus est. Itaque saluis pecuniis, etsi curia submotus foret, accersito tempore cae-nae, genio indulgebat. Haec ille. Verum enimuero Plinius ad Arinium secundo epis-tolarum libro ex Cornuti Tertullii consulis designati sententia septingentis millibus,

quae acceperat, aerario inferendis damnatum esse Marium, eique praeterea urbe atque Italia interdictum ostendat [Hor. *Ep.* 2, 11]. Quin etiam sexto uolumine ad Quadratum Marium Priscum post damnationem [14<sup>v</sup>] exulasse commemorat hisce uerbis. *Accusauit Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus utebatur clementia legis, cuius seueritatem immanitate criminum excesserat. Relegatus est.* [Hor. *Ep.* 6, 29, 9]

Sed quid Plinium testem adduco quando quidem poeta Marium exulem uocet? Etenim si Marius exul est, quomodo tantum senatu et curia motus est?

[1. 49] Ab octaua. Idem Merula scribit ab post significat in hac parte, ut Ouidius. *Nais ab his tacuit.* [Met. 4, 329] Praeoccupabant horam comedendi non expectata nona hora. Nescio {an quicquam} inter se tam discrepans unquam legerim. Nam post octauam horam bibere cum dixerit, statim subdit non expectata nona hora. Noui credo aliquid afferre in ab praepositione uideri uoluit, quam tamen ita accipi propterea non conuenit, quia si post octauam eum caenare poeta diceret, id contra legem consuetudinemque non esset. At Iuuenalis octaua hora incoante {quae ad nonam usque protenditur} praecepto ac praeuento legitimo usitatoque tempore eum cenare indignatur.

[1. 50] Ploras. Georgius Valla sic scribit. Licet tamen nobis intueri Augustinum hunc Marium Arpinatem intelligere. Quippe qui in secundo de ciuitate Dei inquit et quae sequuntur. Non decuit Vallam propter duo tantum uerba, hoc est iratis diis, quae eo loco ubi de Mario et Sylla scribit, leguntur, et materiam de qua scribit Augustinus et personas et tempora non aduertere. Nihil enim ibi quod ad Iuuenalis hunc sensum pertineat scriptum est. Aequius autem is error Francisco Philelpho tribueretur. Qui secundo in Mediolanensi Conuiuio de C. Mario septies consule poetam intellexisse literis prodidit.

[1. 49–50] Dis [Diis] / iratis. Propter Domitianum forsitan dici, ut Merulae placere uideo, aut propter aduersa iudicia ut Domitio et Vallae, non assentio. Etenim deus et cui iratus est [15<sup>t</sup>] quandoque temporalia haec bona et quaecunque uoluptuosa permittit, et contra cui amicus est, omnibus uitae huius incommodis angi sinit. Vnde etiam nocentes et mali irato deo sibi indulgent. Quod hic Iuuenalis significat.

[1. 55] Cum leno accipiat mechi bona. Cum maritus uelut leno pactam pecuniam de prostituta uxore capiat scribit Merula contra poetae mentem dicentis. Cum maritus leno a mecho bona accipiat, quoniam nullum est ius et potestas uxori capiendi bona mechi. Tali autem potestate priuatas esse adulteras Suetonius in Domitiano ostendit. *Probrosis inquit feminis lecticae usum ademit, iusque capiendi legata, hereditatesque.* [Suet. *Dom.* 8, 3]

[1. 59] Qui bona donauit praesepibus. Merula et Valla praesepia legunt pro meretricibus. Sed cum scribat poeta hunc omne aurigando patrimonium absumpsisse, nemo uero sine equis aurigetur, equorum autem praesepia sunt, reliquum est, ut alendorum equorum, aurigandique studio bona consumpserit et maiorum censu, patrimonioque caruerit.



[1. 60] Dum peruolat axe citato. Neronem hoc loco suppresso nomine ⟨...⟩ {reprendi interpretatur Georgius Merula. Cornelium Fuscum Domitius. Antonius Mancinellus Tigillinum.} Equidem Lateranum accipio, quem Damasippi nomine libro tertio ad Ponticum scribens poeta significauit. [Iuv. 8, 185–186] Nam cum illic praeter maiorum cineres uolucris carpento rapiatur aurigandi studium uia Flaminia demonstrauit. Deinde etiam consumptis opibus uocem siphario locauisse cum rettulit, omni censu maiorum carere aperuit.

[1. 69] Occurrit matrona potens Agrippinam hanc Neronis matrem Claudii coniugem fere omnes legunt. A quibus equidem cur dissentiam paucis ostendam. Scribit alia in satyra primi huius uoluminis poeta. *Vilibus ancipites fungi ponentur amicis, / Boletus domino, sed qualem [quales] Claudius edit / Post [ante] illum uxoris, post quem nil amplius edit.* [Iuv. 5, 146–148] Et in secundo libro *Minus ergo nocens erit Agrippinae / Boletus, siquidem unius praecordia pressit / Ille senis, tremulumque [15<sup>v</sup>] caput descendere iussit / In caelum et longam manantia labra saliuam [longa saliuam].* [Iuv. 6, 620–623] Quibus ex uersibus apparet ab Agrippina uenenato boleto extinctum Claudium. Hoc uero in loco, si matronam hanc legerimus Agrippinam, scribit poeta Claudium in uino rubeta infecto esse sublatum. Quare contrarius esset ipsemet sibi. Cum uero manifestum sit, boleto medicato extinctum Claudium, superest non Agrippinam, sed generatim matronas carpi, quae ueneno uiros sustulerint. Scribit autem super hac matrona haec ad uerbum Domitius. Rursus eruperunt fraude Agrippinae, quae Claudium uirum uenenato boleto sustulit, uel certe ueneno cibo delectabili infuso, ut Tacitus tradit. Hactenus Domitius. In quo sane deceptus est. Non enim scribit Tacitus uenenum cibo delectabili, sed delectabili boleto infusum. Parum igitur aduertit scriptionem illam Taciti esse corruptam. Cuius uerba haec sunt. *Adeoque cuncta mox pernotuere, ut temporum illorum scriptores prodiderint infusum delectabili cibo et leto [boleto] uenenum.* [Tac. Ann. 12, 67] Sed pro cibo et leto, quod corruptum erat, boleto fuerat a Domitio uetere scriptura reponendum, ut esset *infusum delectabili boleto uenenum*. Astipulantur huic scriptioni superius de boleto Iuuenalis adducti uersus. Et Martialis ubi ait. *Quid dignum tanto uentrique gulaeque [tanto tibi uentre gulaeque] precabor / Boletum qualem Claudius edit edas.* [Mart. 1, 20, 3–4] Et Suetonius de nece Claudii sic scribens. *Et ueneno quidem occisum conuenit. Vbi autem et per quem dato discrepat. Quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem praegustatorem. Alii domestico conuiuio per ipsam Agrippinam, quae boletum medicatum auidissimo ciborum talium obtulerat.* [Suet. Cl. 44, 2] Et Plinius secundo et uigesimo libro. *Inter ea quae temere manduntur boletos [et boletos] merito posuerim. Optimus quidem est is cibus [opimi quidem hos cibi], sed immenso exemplo in crimen adductus [adductos] ueneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem a coniuge dato Agrippina [Agrippina dato].* [Plin. Nat. 22, 92] Itaque cum tot locis apud diuersos auctores boleto uenenato extinctum Claudium et tali cibo delectatum inuenerit, non delectabili cibo sed boleto facile [16<sup>f</sup>] suspicari debuit. Neque uero in morte Claudii, quae uniformis apud omnes auctores legitur, eam bifariam ostendere decuit, quod uel uenenato boleto Agrippina eum sustulerit, uel certe ueneno cibo delectabili infuso. Constat enim boleto extinctum esse.

[1. 72] Per famam. Quoniam non arguebantur. Nam silentium quoddam fieri putatur his locis, in quae rubeta uenenata cadauera efferebantur. Haec scribit Domitius nihil ad propositum attinentia. Dicit enim poeta Locustam peritiorem magistram rudes suas discipulas edocere ueneficiis maritos extinguere multa populorum fama, quoniam de eius uenefica scelerataque uita multus ubique rumor esset. Quod ita esse idem ostendit Tacitus ubi ait. *Parari[que] uenenum iubet ministro Pollione Iulio praetoriae cohortis tribuno, cuius cura attinebatur damnata uenefici nominis [nomine] Locusta multa fama scelerum [multa scelerum fama]*. [Tac. *Ann.* 13, 15] Caeterum quod ait Domitius. quoniam non arguebantur Nam silentium quoddam fieri putatur, contrarium uerbis poetae est, qui per famam cum dicat, non ad silentium et taciturnitatem, sed ad totius populi rumorem debemus referre.

[1. 81] Ex quo Deucalion. Cum horum uersuum sensus sit, describendae satyrae materiam amplam esse hominum uitia, quae post Deucalionis diluuium inualuerunt, ordo tamen uerborum non est perspicuus. An ergo ita dicemus, ut ab omnibus legi uideo? Quicquid agunt idest faciunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas, gaudia, discursus est farrago nostri libelli. Sed si in recto homines poeta posuisset, nonne potius hac compositione uerborum usus esset? Quicquid homines agunt per uotum, timorem, iram, uoluptatem, per gaudiaque ac discursus est farrago nostri libelli. Nam uotum ac timor et perturbationes huiusmodi philosophi {farrago et materia} sunt, non poetae satyrici. Etenim de animorum affectibus {ac passionibus} multi ac uarii sunt philosophici libri. Satyricorum uero poetarum est ea postea reprehendere, quae fiant his malorum cupiditatum impulsione. Quare meo iudicio hic potior ordo et sensus est. Farrago nostri libelli est quicquid, id est ad quicquid praepositione subiecta uotum, timor, ira, uoluptas, gaudia, discursus agunt hoc est impellunt homines, ut accusandi casu homines ipsos accipiamus. His enim impulsu perturbationibus animi cum peccemus, erratis nostris tum denique materiam poetis satyricis [16<sup>v</sup>] nostra ut carpant uitia, exhibemus. Agere uero {interdum} {pro} impellere usitatum est. Virgilius, *Reginam Alecto furiis [stimulis] agit undique Bacchi*. [Verg. *Aen.* 7, 405] Et in quinto. *Pro [Per] scelus ecce etiam Troianis matribus actis / Exussit foede puppes*. [Verg. *Aen.* 5, 793–794] Silius quoque libro in quarto. *Super ardua ductum / huc egere dei*. [Sil. 4, 75–76] Quicquid autem pro ad quicquid praepositione adiecta {in usu est...} {dictum est. Sic} Virgilius in bucolicis. *Qui non risere parentes [parenti]*, [Verg. *Ecl.* 4, 62] idest ad parentes. Qui autem non cui, ut perperam scriptum atque impressum est in Maronianis codicibus, legendum esse Quintilianus libro nono de figuris uerborum scribens ostendit his uerbis. *Est figura et in numero, uel cum singulari pluralis subiungitur. Gladio pugnacissima gens Romani. Gens enim ex multis. Vel ex diuerso. Qui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est. Ex illis enim, qui non risere, hic quem non dignata*. [Quint. *Inst.* 9, 3, 8–9] Haec Quintilianus. Quem parum aut a Seruio, [Serv. *Ecl.* 4, 62, *sicut Vulcano contigit...*] aut a Tortellio in dictione Vulcanus perspectum esse, pudendum est. Sed et Polytianum, quod longe deterius est, structuram orationis ignorauisse in utilitatem est discentium ostendendum. Is in Miscellaneorum capite undenonagesimo ita scripsit. Et quidem sic ego legerim, sic enarrauerim. Parentes Salonini pueri, de quo nunc agitur, ut sit parentes uocandi casus

hunc qui non risere, neque deus mensa dignatus, neque dea cubili. Haec Polytianus. Qui rem per se satis apertam et facilem uerborum nihil ad sententiam aut ordinem attentium ambagibus obscuram reddidit. Eorum uero carminum sensus et ordo est. Cum dixisset Virgilius. *Incipe parue puer risu cognoscere matrem / Matri longa decem tulerunt fastidia menses*, [Verg. *Ecl.* 4, 60–61] iterum ad ridendum hortatus ait *Incipe parue puer, qui non risere parentes* [parenti], [Verg. *Ecl.* 4, 62] hoc est pueri qui ad parentes non riserunt, nec deus hunc puerum non ridentem ad parentes [17<sup>r</sup>] dignatus est mensa, nec dea est dignata cubili. Ad parentes autem ridere infantes bonum esse et gratum omen Catullus quoque, unde hoc Virgilius transtulit, in epithalamio Manlii Torquati demonstrat his uersibus. *Torquatus uolo paruulus / Matris e gremio suae / Porrigens teneras manus / Dulce rideat ad patrem*. [Cat. 61, 209–212]

[1. 95–96] Nunc sportula primo / limine parua sedet. Merula sic refert. diuites secreto caenantes aliud opsonium ab eo, quod caenarent, in sportulam, quae in limine constituebatur, coniectum distribui iubebant. Quae sane uerba significant eum existimasse omnes diuites Romae dare consueuisse turbae togatae idest plebi Romanae opsonia uiliora in sportulis ad domorum limina constitutis. Ex quo parum scisse arguitur imperantium Caesarum in alenda Romana plebe consuetudinem, indignarique poetam sportulas in egentium sustentationem institutas a ditioribus atque etiam ab iis, qui magistratibus fungantur, auare accipi. Datum uero quandoque est epulum, quandoque etiam congiarium uiritim sub diuersis pecuniarum summis togatae plebi, ut donatium militibus. Sed haec dabantur rarius. At sportulae et frequentius et parcius iis tantum [17<sup>v</sup>] qui censi essent, quique liberos haberent. Quorum nomina uiritim per tribus descripta erant, et nominatim singuli ad capiendam sportulam uocabantur. Quae quidem sportula etsi primum a Claudio in caenis data est et longo post tempore a Domitiano quoque ad rectas caenas auctore Suetonio reuocata, [Suet. *Dom.* 7, 1] tamen id rarum et breue ad tempus fuit, sed haec quadrantum centum, de qua poeta loquitur [Iuv. 1, 120–121] et Martialis persaepe meminit, [Mart. 1, 59; 3, 7; 4, 68; 6, 88; 10, 75] eum in usum uenit, ut apud eos sportulam cum legamus, centum semper quadrantem intelligamus. Sunt uero sportae et sportulae et sportellae numum receptacula.

[1. 116] Quaeque salutato crepitat Concordia nido. Concordiae aedem a L. Manlio praetore in Gallia uotam Duumuiiri Gneus Pupius et Caeso Quintus Flaminius in arcem faciendam locauerunt, ut Liuius libro secundo secundi Punici belli scribit. [Liv. 22, 33] Concordiae uero sacram ciconiam existimauit antiquitas, quod huic aui, ut etiam refert Solinus eximia inest pietas. [Sol. 40, 25–26] Quod {et Petronius Arbiter attestatur hoc carmine. *Ciconia etiam grata peregrina hospita / Pietatis cultrix* [pietaticultrix]. [Petr. 55, 6]} Mancinellus tamen credo nouitate interpretationis impulsus Polytianum secutus Miscellaneorum capite septimo et sexagesimo de cornice intelligi nescio quid cornicatur inepte. Nam quae ille ex Heliano affert, [Ael. *Nat.* 3, 9]<sup>12</sup> nihil {magis} ad Concordiam attinent, {quam quae prospexit Faustinae Laurentiana numismata allucinantibus oculis.} Quanto melius eruditiusque fuisset, si aliqua auctoritate

<sup>12</sup> Hic textus a Politiano Latine citatus est.

nitendum erat, Ambrosium christianissimum et doctissimum uirum in quintum librum Hexameron pellegisse. Ex cuius eloquentissimi hominis lectione cornicatione reiecta ueritati propius accedens ciconiam Concordiae tribuisset [*Hex.* 5, 16]. Adde huc, quod crepitare proprium est ciconiae. (Ouidius sexto libro *Metamorphoseon*) {quae rostro tantum crepitat cum Plinio auctore *sint* [*sunt*] *qui ciconiis non inesse linguas* [*linguam*] *confirmant*. [*Nat.* 10, 62] Quod etiam expressit Ouidius sexto *Metamorphoseon* libro.} [18<sup>r</sup>] *Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro*. [*Ov. Met.* 6, 97]

[1. 120–121] Densissima / lectica. Quae multos contineat, in qua sint uxor et filii scribit Merula. {Georgius autem Valla ad eunuchos refert. Quod nusquam extat.} Praestat igitur ad comitum et clientium numerum, quibus lectica diuitis stipata erat referri. Quod et superior demonstrat uersus. *Quid facient comites*, [Iuv. 1, 119] et qui subsequitur, *uestibulis abeunt ueteres, lassique clientes*. [Iuv. 1, 132]

[1. 133–134] Quanquam longissima caenae spes. [133–134] Id est licet hi non multum habeant apud se quod caenent, tamen non patiuntur diuitum mensam expectare. Haec Georgius Valla. Quibus statim subiungit. *Caules* [*caulis*] *miseris atque ignis emendus*, [Iuv. 1, 134] deest, spes homini haec manet. Quibus duobus in locis, duplex est error. primus in sensu, secundus etiam in uerborum ordine. Sic enim legendus poeta est. Clientes ueteres et lassi abeunt a uestibulis et deponunt uota caenae quanquam longissima. O uanas hominum spes. Caulis atque ignis ipsis miseris emendus in caenam est. Interea uero temporis horum rex uorabit optima siluarum et pelagi et uacuis in toris ipse solus tantummodo iacebit. Qua uera quidem et facili structura uerborum et magnam commiserationem mouet erga clientes et non minorem indignationem in ingratum, diuitemque patronum. In primis autem miseratio est a loco. Etenim cum domum usque regem suum reducerint, ab ipsis etiam uestibulis dimittuntur. Tum ab aetate, quia ueteres. Mox a longo per urbem discursu, unde fessi. Deinde ab eo loco, qui dicitur praeter spem, cum uota etiam longissima caenae frustrata sint. Postremo a uictus genere, cum caulis miseris atque ignis emendus sit. In ipsum uero patronum et ab opsoniorum genere indignatur, cum ei optima terrae [18<sup>v</sup>] ac maris parata sunt, et a tempore, quando lassi clientes maxime cibandi sunt, et a modo et gula, cum non mandet sed deuret, et ab auaritia simul atque superbia, cum et regem appellet et solus caenet. Quae omnia diligenter considerata atque perspecta hos comites et clientes per urbem suo cum patrono ac rege discursisse et spe caenae frustratos esse demonstrant alio sensu et ordine quam a Georgio Valla relatum sit. {Quod autem scribit Domitius, quod Domitianus nondum sustulerat sportulas et rectam caenam dari iusserat clientibus perinde accipit ac si patroni iussi sint id suis exhibere clientibus. Qua quidem in re et ipse et eum secuti decepti sunt. Ab imperatoribus enim ex publico dabatur ad plebem Romanam sustentandam non a patronis aut aliis priuatis uiris ut supra demonstratum est.}

[1. 143] Crudum pauonem. Merula statim assumpto cibo balneum ingredi solitos ueteres putat, neque Iuuenalem, neque Columellam, [Col. 1. pr. 16] neque Plinium, quos adducit, intelligens. Etenim hi non statim post cibum, ut bene concoqueretur, in bal-

neum iri scribunt, sed propterea ut cruditas stomachi decoqueretur. Lauari autem sudareque ante quam cibus capiat et usus docet et ualitudinis ratio.

[1. 144] Intestata senectus, quia nihil habent quod relinquunt, interpretatur Domitius. Sed ad repentinam mortem quae spatio testamenti condendi careat, praestat referri. Quod ipsemet poeta expressit dicens. *Hinc subitae mortes*. [Iuv. 1, 144]

[1. 169] Galeatum. A galea. Et est nomen simile participio, ut scribit Merula deceptus {Diomedis in primo [Diom. *Ars.* GL 1, 402]} Prisciani in libro octauo [Prisc. *Inst.* GL 2, 562] et Serui in sextum Aeneidos lectione, [Serv. *Aen.* 6, 104] non participium esse galeatum, sed nomen absque uerbi origine describentium. At Hircius in quinto commentario de bello Africo participii huius utitur uerbo. Itaque inquit *cum procul hostis conspici posset, milites in campo iubet galeari et ad eam pugnam [ad pugnam] parari*. [12, 3] Cinna quoque in epigrammatis Nonio Marcello attestante ait. *Miseras audet galeare puellas*. [12] Quoniam igitur ut clypeare ita etiam galeare dixerunt ueteres, galeatus non simile participio nomen est, sed participium. [19<sup>f</sup>]

### *In Secundam Satyram Iuuenalis*

[2. 10] Inter Socraticos notissima fossa cinaedos. Omissis Domitii, Merulaeque ac Valae opinionibus, {Socrates in eo Platonis dialogo,} qui ἐρασταὶ ἢ περὶ φιλοσοφίας, idest amatores uel de philosophia inscribitur, in Ludum Dionysii grammatici, qui magister Platonis fuit, uenisse scribitur, cumque adolescentulis, quos amatores consecrati fuerant, colloqui. [Plat. *Amat.* 132a] Hinc igitur assumpta aetatis occasione Iuuenalis hunc, qui uerbo turpia detestetur, re uero sit turpis atque oscenus inter Socraticos cinaedos esse refert notissimam fossam, in quam tanquam in uitiorum et intemperantiae gurgitem, praetextu et specie grauitatis praecipites trahit adolescentes, diuerso tamen a Socrate modo. Ille enim inter suos, quos ob aetatem poeta cinaedos uocat, exemplum uirtutis fuit atque modestiae. {Notissimam quoque fossam notissimum ipsum pathicum possumus qui fodiatur accipere.}

[2, 21] Clunem agitant. Aut in reprimendo uitia clunem agitant, aut in rem turpem expressit, ut ait Merula. Prima sed interpretatio falsa est. Etenim rei turpis necessaria est expressio. Nam agitare clunem reprehensionem non conuenit, et de libidinis incontinentia poeta loquitur. Quod statim planius expressit dicens. *Ego te ceuentem Sexte uerebor*. [21] Quanquam in hoc quoque idem Merula aberrauit ita scribens. Ceuere est clunem agitare, qui gestus adulantium est proprius. Sic Persius. *An Romule ceues*. [Pers. 1, 87] {Non enim} ceuere {est clunem adulando agitare, sed} molliter clunes [19<sup>v</sup>] mouere est dum cinaedi muliebria patiuntur. In qua significatione Persius posuit, *An Romule ceues* inquit tanquam de uiriliter Romuli dubitaret Catullum imitatus dicentem. *Cinede Romule haec [hoc] uidebis et feres*. [Cat. 29, 9]

[2, 29–30] Qualis erat nuper tragico pollutus adulter / concubitu. Georgius Valla Probum secutus Claudium reprehendi existimat ita perplexis et secum pugnantibus uerbis,

ut difficilius sit, eorum structuram cognoscere, quam quae non probes, refellere. Tribus uero de causis ita sentit. Et propter tot abortiuos, et propter offas patruo similes, et propter leges amaras ab eo reuocatas. Sed Iuliam Agrippinam frequenter abortum appetiisse postquam Claudio nupsit commentitum<sup>13</sup> est. Id enim nusquam apud quenquam ueterum scriptum est. Neque uero etiam simile ueri est Agrippinam id facere uoluisse, cum naturali matrum amore in filios, tum quia noua sobole arctius sibi Claudium deuinxisset, tum uel maxime quod {sibi} certiora in omnem euentum praesidia filiis ex eo susceptis, uel uiuo, uel mortuo Claudio comparasset. At contra de Iulia Titi filia Plinius ad Cornelium Minutianum libro quarto epistolarum in Domitianum inuectus ita scribit. *Nec minore scelere quam quod ulcisci uidebatur, absentem inauditamque damnauit incesti, cum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum uerum etiam occidisset. Nam uidua abortu periit.* [Hor. Ep. 4, 11, 6] Sed et Suetonius idem ostendit his uerbis. *Fratris filiam adhuc uirginem oblatam in matrimonium sibi cum deuinctus Domitiae nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam ultro corruptit [corruptit ultro], et quidem uiuo etiam tum Tito, mox patre ac uiro orbatam ardentissime [20<sup>f</sup>] palamque dilexit, ut etiam causa mortis extiterit coactae conceptum a se abigere.* [Suet. Dom. 22] His grauissimis auctoribus uides Iuliam Titi filiam Domitiani neptem ex patruo grauidam abortum edidisse, nihil autem tale in Agrippina quenquam ueterum rettulisse. Quare non Claudium, sed Domitianum, quae prima est susceptae refutationis pars, nunc a poeta carpi debemus accipere. Verum enim uero quod ad offas patruo similes pertinet ita Valla scribit. quoniam constat Claudium eo usque deformem fuisse, ut *mater Antonia portentum eum hominis dictitaret [dictitabat], nec absolutum a natura sed tantum incoatum, ac siquem socordiae arguebat [argueret], stultiolem aiebat filio suo.* [Suet. Cl. 3.] Haec sane uerba praeter rem sunt posita. Abortus enim nondum ea liniamenta oris et corporis habere potest, ut aliquem representet et referat. Vnde etiam recte uocauit offas, quae sunt informes. Ergo non patruo similes dixit, quod offae illae forma et aspectu essent persimiles, sed quia si ad maturitatem partus et deinde ad aetatem debitam peruenissent, Domitiano patruo similes exitissent. Quanquam ex Antoniae uerbis apud Suetonium, unde ea {Valla} transtulit, apparet, non ad deformitatem corporis, sed ad ingenium et mores id Antoniae dictum referri. Non enim informis, sed formosus et decens fuit Claudius eodem Suetonio sic scribente. *Auctoritas, dignitasque formae non defuit uel stanti [defuit fet ueterum stanti] uel sedenti ac praecipue quiescenti. Nam et prolixo nec exili corpore erat et specie canitieque pulchra opimis ceruicibus.* [Suet. Cl. 30] Reliquum est, ut amaras leges adulterisque timendas ad Claudium non referri aperiamus. Nam quod Tacitum scribentem adducit matrimonii sui ignarum munia censoria usurpasse, theatralemque populi lasciuiam seueris edictis increpuisse, [Tac. Ann. 11, 13] nihil ad amaras leges de adulteriis [20<sup>v</sup>] et ipsi etiam Marti, Venerique timendas pertinet. Nihil enim simile adulteria et promiscua patrum et plebis spectandi ludos in theatris licentia in se habent. Neque uero eo tempore quo theatralem increpuit licentiam Claudius Agrippinam adhuc duxerat in uxorem, uiua Messalina. At contra Domitianus auctore Suetonio suscepta morum correctione *probrosus feminis lecticae usum*

<sup>13</sup> In codice hic *commentitium* legitur.

*ademit, iusque capiendi legata, hereditatesque, et quosdam ex utroque ordine lege Scantinia condemnauit, et incesta Vestalium uirginum [...] uarie ac seuerē coercuit.* [Suet. *Dom.* 8, 3] Et *castrari mares uetuit.* [Suet. *Dom.* 7, 1] Et ut Martialis aperte monstrat legem Iuliam de adulteriis renouauit. *ut nec spado iam nec mechus erit te praeside quisquam* [Mart. 6, 2, 5] ad Domitianum scribens libro sexto et *Iulia lex populis ex quo Faustine renata est / Atque intrare domos iussa pudicitia.* [Mart. 6, 7, 1–2] Huc accedit, quod cum tragico pollutus adulter concubitu is dicatur, nulla ratione Claudius intelligitur duabus de causis. Primum, quod adulter non est, qui cum legitima coit uxore. At Claudius Agrippinam post Messalinae interitum legitimis sibi nuptiis ex senatus consulto factis copulauit. Deinde quod Claudii concubitus qui lege, qui iure, qui auspiciato factus est, non est tragicus appellandus.

[2, 44] Scantinia: Sestertium decem milium mulctam esse in pedicones, ut Valla scribit magnitudine mulctae uix magnis principibus ac regibus persoluendae haud <...> {simile ueri est. Quare decem milium numum ingenui stupratori poena potius constituta est. Quod Quintilianus libro iiii de narratione scribens uidetur ostendere. [Quint. *Inst.* 4, 2, 69]}

[2, 57] Horrida quale facit residens in codice pellex [paelex]. Hunc locum non attigissem, nisi quidam litterator ad Philomelam rettulisset, non aduertens generale pellicum dictum esse, quae annis rugis {que} accedentibus ab amatoribus desertae lanam dum trahunt, aut texunt codici insidentes uictum quaerunt. Vnde etiam inquit Propertius [21<sup>r</sup>] *Codicis immundi uincola sentit anus.* [Prop. 4, 7, 44] De Philomela uero accipi non debere praeterque quod nimis antiqua est fabula et nullo certo proposito accersita, illud nos satis monere potest, quod horrida dixit, quod aetati et formae regiae puellae non conuenit, cum sit proprium egentium lanamque trahentium uetularum, et quod facit praesenti in tempore non fecit in praeterito scripsit. Quod utique scripsisset, si ad Philomelam respexisset.

[2, 58–59] Solo / liberto. Neque uero etiam hunc locum superioribus addidissem, nisi soli tanquam adiectiuum esset nomen legi a quibusdam intellexissem. Quibus sane obstat scriptura codicum antiquiorum solo habentium <...> {Quod proprium est liberti nomen.}

[2, 60] Quae dormit tertia: Tanta erupit aeuo nostro ingeniorum peruersitas, ut non desint, qui {Probo assentientes} hoc in loco Tertiam feminae nomen existiment, non considerantes nulla id ratione fieri posse, quando sit ordinis, non mulieris nomen. quoniam quae tertia dormiet drauco et marito in eodem lecto cubantibus, si uiri sui incontinentiam, nefandamque libidinem pertulerit neque detexerit, multis ab eo ditescet acceptis muneribus. Neque uero me praeterit in M. Bruti matrem Seruiliam, cum a Caesare bona ciuium subhastante parua pecunia pretiosum fundum emisset, illud Ciceronis dictum. *Equidem quo melius emptum sciatis, comparauit Seruilia hunc fundum tertia deducta.* [Macr. *Sat.* 2, 3, 7] Erat autem Seruiliae filia Tertia Iunia C. Cassii uxor. In quam pariter atque in Seruiliam matrem mechabatur dictator Caesar. Sed ea nihil ad poetae propositum attinet.

[2, 67] Cretice. Inuehitur in Metellum Creticum eum qui uicit Cretenses, ut Valla Georgius refert auctore Probo. At si [21<sup>v</sup>] Probum iam nimium saepe nugas et inania uerba iactantem uidet, quid eius tam crebro stolidam refert dicta? Nam cum in uiuum haec hominem poeta scripserit, quid Metellum Creticum illum tot ante saecula uita functum rettulit? At quod sequitur suum ac proprium, non est silentio transeundum. Etenim Longinus, de quo ad Rusticum monachum scribit Hieronymus circiter trecentos annos post Iuuenalem fuit. Neque uero etiam creticus per e sed criticus per i litteram {a Hieronymo} scribitur. Qui Longinus cum meras nugas ad discipulos funderet supercilio adducto, contractis naribus ac fronte rugata, ut doctior appareret, eum inquit Hieronymus criticum hoc est caeterorum scriptorum iudicem esse diceret et tanquam censorinum Romanae facundiae notare quem uellet et de senatu doctorum excludere. [Hor. *Ep.* 125, 18] Sunt uero dicti critici, grammatici ueteres et acuti poetarum interpretes et quodammodo iudices a uerbo κρίνω, quod significat iudico. Quod Horatius in secundo epistolarum ostendit libro. *Ennius et sapiens et fortis et alter Home- rus / Vt critici dicunt*. [Ep. 2, 1, 50–51] Et Cicero ad Dolabellam. *Ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum utrum sint τοῦ ποιητοῦ [an] παρεμβεβλημένοι* [Cic. *Fam.* 9, 10, 1] hoc est poetae inserti. Quare cum neque conueniant tempora, neque dictionis in uocali litteratura neque sententiae ratio, superuacaneum fuit criticum hunc Longinum referre cum Domitianum iudicem ac censorum non scriptorum ut Longinus, sed morum ut imperator, poeta intelligat. Neque uero etiam ut scribit Merula, proprium nomen est Creticus, neque per e scripta ut in omnibus codicibus extat dictio de Graeco manat. {Quod etiam Antonio Mancinello placere uideo.} Sed Creticum uocat Iuuenalis Domitianum, quod tanquam Cretensis {Aeacus uel} Rhadamantus uel Minos leges ferat, iudiciaque exercent, Suetonio etiam auctore morum correctione suscepta.

[2, 83–84] Accipient te / paulatim qui longa domi redimicula sumunt. Domitius taxari putat his sexaginta uersibus [22<sup>r</sup>] sacerdotes Albanos a Domitiano institutos {quem secutus est etiam Mancinellus}. Quod ita necne sit, paucis uideamus. Suetonius haec de eo ad uerbum scribit. *Celebrabat et in Albano quot annis quinquatria Mineruae, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque [ederentque] eximias uenationes et scaenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina*. [Suet. *Dom.* 4, 4] Haec igitur si curabant sacerdotes Albani, poeta uero in his carminibus nihil de Mineruae sacris, nihil de uenationibus, nihil de scaenicis ludis, nihil de oratorum, poetarumque certaminibus scribit, ad Albanos sacerdotes referri nequeunt. Presertim cum de eiusmodi sacerdotibus nihil usque turpe legamus scriptum, et Mineruae pudicissimis sacris non conueniant ea, quae hic damnantur. Quod uero ait Domitius nihil eos differre a mulieribus colentibus Bonam Deam, aut a sacerdotibus Eleusinis, qui facibus discurrentes et cursu prope Bacchico furentes colebant Cererem, falsum utrumque est. Nam et Romae sacra Bonae Deae pie atque integre a feminis curabantur, et poeta cum dicat *Talia secreta coluerunt orgia teda / Cecropiam soliti Baptae lassare Cotyto* [Cotyton], [Iuv. 2, 91–92] nihil de Cereris sacris, quanquam Eleusina sacra pudica erant, loquitur, sed de Cotytiis, Quae sane Cotytia sacra {mollia et impura} a Thracibus accepta Athenienses seruabant non multum a Bacchanalibus differentia. De quibus etiam ad Horatium in epodo inquit Canidia.



*Inultus ut tu riseris Cotytia / Vulgata sacrum liberi cupidinis.* [Hor. *Epod.* 17, 56–57] Vbi autem poeta scripsit. *Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae / Et magno cratere Deam,* [Iuv. 2, 86–87 idem ipse sic scribit Domitius, non quod Bonam Deam illi sacerdotes colant, sed quod illorum ritus et ludi scaenici nihil pene differant a sacris Bonae Deae, quae mulieres operantur. Quod est penitus contra poetae mentem, cum aperte Bonam Deam ab huiusmodi hominibus coli dicat, et de ludis scaenicis nihil referat. Quod uero Baptas Cereris sacris initiatos existimauit, id sine ullo certo auctore protulit. Nam qui Eleusinos sacerdotes litteris prodiderunt, eorum in numero Baptas non locauerunt. Contra autem Bapтарum titulo uetus quaedam comoedia Eupolidis est inscripta. In qua cum Cotytia [22<sup>v</sup>] illa nocturna sacra furoris et libidinis plena satyrico stilo perstricta fuerint, eiusmodi erubescendis sacris admotos constat Baptas esse denominatos, quod de more lauarentur prius quam ad Cotytia sacra admitterentur. Caeterum cum satis ut arbitror Domitiana opinio reuicta sit, quis igitur erit poetae sensus? de me quaeret non iniuria quispiam. Fuisse apparet ex Iuuenalis carminibus, illis perditis moribus atque temporibus quosdam adeo effeminatos ac molles, ut quemadmodum feminae sacra Bonae Deae, quibus mares interesse non poterant, operarentur, sic et ipsi nocturnis in coetibus sacra, quibus feminas admitti non liceret eodem nomine Bonae Deae diuersa tamen ratione celebrarent. Quibus nocturnis sacris cum nocte, uino, epulis, amore impellentibus in similem licentiam, intemperantiamque erumperent, in quam olim Athenienses in Cotyos deae sacris prolapsi essent, propterea indignatus poeta patrios ritus, religionemque pollui, gulamque ac libidinem et omnem corporis mollitudinem summo cum dedecore exerceri, his uersibus omnia profanata esse conqueritur.

[2, 92] Lassare Cotyto [Cotyton]. Vtraque in dictione aberrare mihi uidetur Merula. Nam et lassare ponit pro fatigare frequenti sacrificio, cum poeta intelligat lassari Cotyto facum quassatione et saltationibus et choreis, ut ad Baptas referatur. Non enim frequenti sacrificio dii lassantur, sed magis in sacrificantium uota flectuntur atque placantur. Et de Cotyto, quam tamen ipse per c litteram scribit ita refert. Hanc deam Proserpinam quidam intelligunt a Cocyto inferorum fluuio dictam. Ego autem contenderim a loco ubi praecipue dea coleretur. Quod innuere uidetur Virgilius in Priapeia dinumerans loca, in quibus uaria numina colerentur. Ait enim *Raptam Cocytos [Cyzicos] ostreosa diuam.* [Priap. 75, 13] Haec Merula scripsit uno in uerbo multa ignorans. Nam et quae [23<sup>t</sup>] dea Cotys esset nusquam aduertit, et Cocyton si pro Proserpina legeret aut a Cocyto fluuio apud inferos, aut a loco ubi praecipue coleretur prima syllaba longa semper inueniri non considerauit, et locum, a quo dictam contendit, etiam ignorauit. Quem tamen locum ex eiusdem Virgilii sexto uolumine poterat didicisse. *Tenant media omnia siluae / Cocytusque sinu labens circumuenit atro.* [Verg. *Aen.* 6, 131–132] Cocytus enim, qui Lucrinus postea est denominatus, ab inferis manare, quemadmodum et Auernus uicinus lacus existimatur. In sinu autem Cumano utrique sunt. Lucrinum uero Cocytum esse Silius docet libro duodecimo. *Ast hic Lucrino mansisse uocabula quondam / Cocyti memorant [memorat].* [Sil. 12, 116–117] Ostreosam autem uocauit Maro, quod illic magna est copia ostrearum cum Horatio sentiens secundo sermonum uolumine *Murice Baiano melior Lucrina peloris.* [Hor. *Sat.* 2, 4, 32]

Ex ostrearum autem genere peloris multa saporisque optimi in Lucrino qui et Cocytus dictus est capitur.

[2, 116] Superuacuum carnem. Hic sibi placet, hic exultat Merula superuacaneam carnem extantem intellegi debere et significare corporis musculos, quos Galli simulato diuino furore cultris scindebant. Verum enimvero quid ad poetam Gallorum mendicantium seque ob exiguam stipem in elemosinam capiendam sauciantium ille mos pertinet? Etenim reprehensens nobilium Romanorum oscenitatem, mollitiem, gulam, libidinem, quando nihil uirilitalis amplius in se habeant, tempus aduenisse ait, ut se castrando superuacuum carnem amputent.

[2, 125–126] Arcano qui sacra ferens nutantia loro / Sudauit clypeis ancilibus. Propius uoluit designare se de sacerdotibus Palladis loqui. Nam et Pallas Bellona est, praeestque bello ut Mars. Haec Domitius praeter rem ac mentem poetae scripsit. Qui Grachum {refert} e numero Salium sacerdotum Gradiui Martis per urbem ancile gestantem discursisse, [23<sup>v</sup>] ac de more cum tripudiis et solemnibus saltatione canendo carmina sudauisse.

[2, 147–148] His licet ipsum admoueat. Domitius non admouere, quod significat adiungere atque addere, sed admonere, quod est praecepta et monita ferre legit<sup>14</sup> ut sit sensus. Refer ipsi imperatori. Sed enim admoueat per uocalem litteram in omnibus etiam uetustissimis codicibus, quos ille {falso} tamen testes citat inueni, quanquam etiam si secus scriptum inueniretur, non moueret in littera, cum praesertim huius admonitionis, quam ad imperatorem Neronem refert, repugnent tempora. Nam cum haec satyra longe post mortem Neronis descripta sit, quis eum demortuum uiuens monere potest? {...} {Quod si quis Domitianum, cuius tunc munere retia Gracchus misit, non Neronem intelligat, parum aduertit hunc Gracchum in octaua huius poetae satyra ad Neronem non ad Domitianum referri. Vbi permixtim de Nerone et Graccho ait. *Res haud mira tamen, citharoedo principe natus [mimus] / Nobilis, haec ultra quid erit nisi ludus? Et illic / Dedecus urbis habes, nec mirmillonis in armis / Nec clypeo Gracchum aut pugnantem [Gracchum pugnantem] falce supina / Damnat enim tales habitus et [sed] damnat et odit / Nec galea frontem [faciem] abscondit. Mouet ecce tridentem. / Postquam uibrata pendente retia dextra / Nequicquam effudit, nudum ad spectacula uultum / Erigit et tota fugit agnoscendus harena. / Credamus tunicae de faucibus aurea cum se / Porrigat et longo iactetur spira galero. / Ergo ignominiam grauioiorem pertulit omni / Vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor. / Libera si dentur populo suffragia, quis tam / Perditus ut dubitet Senecam praeferre Neroni.* [Iuv. 8, 198–212] Quibus ex uersibus aperte datur intelligi Gracchum Neronis in ludis retiarium fuisse.} Quare abiectis his tandem uariatis ordinibus et sententiis omnes hi uersus ita legendi sunt. Vicit et hoc monstrum nubendi cornicini, quo tempore in harenam descendit, Grachus generosior et Capitolinis et Marcellis et Catulis et Paulis et Fabiis et omnibus ad podium spectantibus, quamuis etiam his, qui de podio spectauerunt, admoueat

<sup>14</sup> Incertum est.

atque adiungas ipsum Neronem, cuius in gladiatorio munere retiarius Grachus fuit. Neque uero sine causa dixit poeta, quamuis addas his ipsum Neronem. Etenim constat eum gente Domitia clarissima et antiquissima esse ortum. Quod certe Domitiano non conuenit obscuris maioribus oriundo. Caeterum his in uersibus {Antonius Mancinellus fuscinae retiarii iaculum hoc est rete, quo aduersarium operiret, male mihi uidetur accipere, cum fuscina telum tridens sit.} Valla quoque Georgius fuscinae lanistae attribuit, cum retiarii sit. Lanista enim non digladiatur, sed gladiatorum familiam in exercitio continet. Et Capitolinum nomen ab Horatiano forsitan Petilio peculatus reo, [S. 1, 4, 93–95] uel certe prius inuentum dicit, nescius statim post exactos reges Capitolinos multis consulatibus et triumphis et dictaturis per longa saecula illustratos. Quin etiam super uersu, his licet ipsum admoueas, Tiridaten Armeniae regem scribit, cui se Nero in spectaculis ludi-[24<sup>r</sup>] bundum exhibuit, et quod alienissimum a sensu poetae est tunicatum hunc Grachum, Neronem intelligit.

[2, 170] Artaxata. In accusandi casu legunt Valla et Merula. Quos equidem non prendo. Sed in recto etiam optime accipi posse uideo in hunc sensum. Sic Artaxata idest pueri adolescentis ex Artaxatis, ut sit continens pro contento, referunt idest representant et redolent contagione muneribusque corrupti praetextatos mores hoc est puerorum Romanorum pretexta utentium impudicos mores.

*In tertiam satyram.*

[3, 11] Madidamque Capenam. Domitius hic celebrari Fontanalia coronatis puteis et sparsis floribus in fontes refert. Sed Varro, unde hoc sumpsit, de Capena porta nil meminit. Eius uerba haec sunt. *Fontanalia a fonte, quod is dies feriae eius, ab eo tum in fontes coronas iaciunt et puteos coronant.* [Varro, *LL*, 6, 22] Sed et Festus Pompeius ita scribit. *Fontanalia [Fontinalia] fontium sacra. Vnde et Romae Fontanalis [Fontinalis] porta.* [Fest. 60] Quo auctore facile datur intelligi non ad Capenam sed Fontanalem ad portam ea fieri sacra consueuisse. Quae in Transtiberina regione in Vaticanum uersa locata est. Veteres autem arcus ueterem Anienis aqueductum, quia et nouus quoque est accipi, et propter huiusmodi aqueductum madidam Capenam dictam esse, minus mihi uidetur probabile, quod aqueductu integro porta ipsa non possit madescere, in fracto autem corruptoque, eo aquae non possint ascendere. Sed et nostra tempestate nullo iam pridem aqueductu praeterfluente ad Capenam portam depressa loca cernimus humectari aquis atque madescere. [24<sup>v</sup>]

[3, 12] Hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae. Quia horum uersuum sensum atque ordinem minus quam deceat a plerisque uideo intellectum, utrumque paucis complectemur. Ad Capenam portam donec in rhedam {tota} domus imponeretur cum substitisset Vmbritius, postquam actus est currus, hic idest tunc inquit poeta nos descendimus in uallem Egeriae, ubi Numa certis temporibus coniugi deae congregiebatur. Nam intermedii quattuor uersus quibus hunc Egeriae et Musis sacratum lucum Iudaeis per auaritiam locatum ostendit, per interpositam ratiocinationem diuisae sen-

tentiae, idest per parenthesesim legendi sunt. Hic uero cum locale aduerbium sit, pro temporali est positum. Etenim tunc significat hoc in loco. Sicut apud Terentium in Eunuchio loquitur Gnatho. *Hic ego illum contempsit prae me.* [Ter. *Eu.* 239] In hanc autem Egeriae uallem quae iuxta Ariciam est, uentitasse Numam regem, praeter Ouidium in libro *Fastorum* tertio et in *Metamorphoseon* ultimo, [Ov. *Fast.* 3, 275sqq; *Met.* 15, 485sqq] praeterque Liuium ab initio operis in Numa rege, [Liv. 1, 19] praeterque Dionysium Halicarnasense de eodem scribentem Numa, [Dion. *Ant.* 2, 61] Lactantius quoque primo uolumine sic refert. *Quod ut faceret aliqua cum auctoritate, simulauit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus. Erat quaedam spelunca peropaca in nemore Aricino, unde riuus perenni fonte manabat. Huc se remotis arbitris inferre consueuerat, ut mentiri posset monitu deae coniugis ea sacra populo se tradere, quae acceptissima diis essent.* [Lact. *Div. Inst.* 1, 22] Cum igitur his auctoribus Numa cum Egeria nocturnis temporibus congressus sit, Egeria autem Aricinam uallem ac nemus incoluerit, Vmbritius uno cum Iuuenale in Egeriae uallem descenderit, necesse est, ut Capena porta egressi Cumas tendentes non alia in ualle quam in hac Aricina consederint. Quod equidem [25<sup>r</sup>] tacitus praeterissem, nisi Polytiano hunc poetam publice profitenti placuisset, conuenire hunc locum epigrammati Martialis in primo uolumine ubi ait. *Rura nemusque sacrum dilectaque iugera Musis / Signat uicina quartus ab urbe lapis.* [Mart. 1, 12, 3–4] Qui cum de uilla Reguli sita Tyburtino in agro scribat, diuersumque sit iter Tyburtinum ab Aricino, neque poetae sententiam, neque uerborum ordinem intellexit. Nihil enim obstat Musas et in Tyburtino coli et in Aricino. Nam et in aliis quoque multis coluntur locis. Illud quidem erat prospiciendum, quod in nemus Numa solitus esset accedere, ut cum Egeria dea congrederetur. Quod quidem Aricinum fuit nemus, non Tyburtinum.

[3, 31] Quis facile est aedem conducere: Georgius Valla perinde accipit ac si eis difficile non fuerit etiam sacris manus amoliri pro sacrilegis capiens. Quod poeta non sentit. Nihil enim de sacrilegio loquitur. Sed hos humiles ac sordidos quaestus sectantes demonstrat ita ditatos esse, ut munera et ludos populo edant. Redemptores uero et publicani et libitinarii eiusmodi quaestus sectabantur.

[3, 33] Et praebere caput domina uenale sub hasta. Quae dominum facit, quae in libertatem seruos uindicat et hasta pro uindicta ponitur. {Scribit Valla Sed} ut uindicta seruos liberari nemo dubitat, sic hastam pro uindicta poni nemo {sanae mentis} approbat. Nihil enim potest a sensu poetae differre magis. Qui cum sordidos quosdam quaestus rettulerit, hunc <nouissime omnium deterrimum> {quoque eorum adiungit numero,} qui se ipsos interdum causa quaestus ad tempus uendiderint (<, adiungit).

[3, 35] Notaeque per oppida buccae. Parasiti aut delatores Valla idem exponit longe diuersa a poeta sententia. Qui cum hos cornicines et perpetuos comites theatrorum in municipiis fuisse dixerit, [25<sup>v</sup>] statim addidit eos buccis, quae spiritu inflatae intumescunt, in cornibus personandis innotuisse.

[3, 36] Munera nunc edunt. Dant munera et officia distribuunt idem {Georgius Valla} interpretatur. At non de impertitis et distributis unicuique muneribus et officiis, sed

de publicis scribit poeta ludis, indignatus eos, qui theatris prius inseruiebant, tantas esse diuitias consecutos, ut nunc ludos, quae munera etiam appellantur, exhibeant. Cicero ad Curionem epistolarum libro secundo. *Nempe [Rupae] studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine.* [Cic. *fam.* 2, 3, 1] Martialis libro quinto. *Sutor Cerdo dedit tibi culta Bononia munus. / Fullo dedit Mutinae. nunc tibi [ubi] copo dabit.* [Mart. 3, 59]

[3, 36] {Et uerso pollice uulgi [uulgi]. Idest uulgo refragante, repugnante, aduersante scribit Mancinellus perinde ac si uulgi fauor ab his munera et ludos populo edentibus longe discesserit. Quod est contra poetae sententiam ostendentis uulgum non miserari gladiatorum necem, consuetum interdum uictorem a succumbentis interitu continere. Vnde ait in prima epistola de Veiano gladiatore Horatius. *Ne populum extrema toties exoret harena.* [Hor. *Ep.* 1, 1, 6] Quare uerso pollice a succumbente et populum orante gladiatore debemus accipere. Ex quo sequitur assensu populi quemlibet occidi gladiatorem. Nam de aliorum caede in tam sordidis munerariis non decet intelligi.}

[3, 43] Funus promittere patris. Aut creditoribus meis inquit Valla perinde atque Vmbritius de suo ipsius parente dixerit. Quod sane probabile non est in bono et docto et sene Vmbritio, ad eos tantum, qui se de parentum interitu, ut patria bona inuaderent, consulebant, referente.

[3, 63–64] Chordas obliquas cum tibicine [Cum tibicine chordas obliquas]. Genus tibiae notat, quae obliqua dicebatur, quam primus Marsias inuenit in Phrygia, ut scribit Plinius. [Plin. *Nat.* 7, 204] Haec Domitius tibicini obliquas chordas attribuens, duoque inter se distincta ad unum tibicinem referens. Vmbritius enim dicit e Syria Romam tibicines, fidicinesque uenisse, Domitius uero tibicinem solum refert, tanquam nesciat spiritu oris inflari tibias, chordas uero in cithara plectro aut digitis resonare. Ergo ita distincte legendum est. Et secum uexit linguam et mores, et cum tibicine chordas obliquas idest tibicinem et fidicinem obliquis fidibus hoc est chordis resonantem. Caeterum Plinius quoque perperam ab eo adductus est. Nam ut in septimo eius apparet uolumine. Obliquam tibiam inuenit Midas in Phrygia, geminas tibias Marsias. {Verum enim uero in hac chordarum obliquitate Georgio Valla nihil excogitari potest obliquius scribente obliquas idest rusticas, uel quas tibicines in obliquum tangunt. Nusquam enim obliquum pro rustico legitur. Neque tibicines chordas manibus tangunt, sed ore ac spiritu inflant tibias. Pro obliquis autem odis hoc est ebriosis, non nisi accipietur ab ebriis. Nam qui sobrii sunt ad formam cytharae ex obliquo intentae referunt.}

[3, 69] Amydone relicta. Idem Domitius inquit. Amydon inter sporadas insulas mollissimorum [26<sup>1</sup>] hominum patria. Equidem apud Homerum circiter finem secundi Iliados libri Pyrrhechinem ducem secum Troiam adduxisse Peones reflexos arcus gestantes procul Amydone patria atque Axio flumine profectos, [Hom. *Il.* 2, 848–850] et eiusdem poematis decimo et sexto uolumine legi eiusdem Pyrrhechinis, sub quo duce egregii Peones ex Amydone urbe et late fluente Axio uenerant, dextrum humerum

iaculo a Patroclo transfixum esse. [Hom. *Il.* 16, 284sqq] Caeterum et Johannes Tortellius in dictione Mygdonia super hac Amydone aberravit Mygdonem non Amydonem legens. Quae scriptura neque in uetustis, neque in nouis poetae codicibus reperitur. Neque uero etiam Mygdon insula iuxta Mygdoniam, ut ipse asserit, inuenitur.

[3, 74] Isaeo torrentior. Aut Isaeo fluuio, aut Isaeo rhetore pariter et philosopho scribit Merula. Quem Isaeum fluuium posuisse, ubi uero locorum sit, non addidisse, inditio est ab eo confictum esse contra poetae mentem de Isaeo rhetore describentis, siue ille sit, qui Demosthenem erudiuit, siue, cui magis adhaereo, is qui Romae Iuuenalis aetate uiguit, cuius ubertatem et extemporaneam copiam ad Nepotem scribens maximopere laudat iunior Plinius secundo epistolarum suarum libro. [Plin. *Ep.* 2, 3]

[3, 85] Bacca nutrita Sabina. Etsi bacca oleae quoque est, tamen cum generale arborum fruticumque omnium baccas ferentium uerbum sit, ut lauri, corni, myrti, lentisci, praestat ad baccas omnis, quae mandi possunt, quam ad oleas tantum referri, ut scribit Merula. Quae bacca quidem certe Sabinis perbelle conuenit parco et agresti uictui assuetis. Etenim hoc in nomine Sabinorum inest facies quaedam integritatis. Vnde ait Virgilius *Curibusque seueris*, [Verg. *Aen.* 8, 638] et Horatius. *Sum bonus et frugi, renuit negat atque [negitatque] Sabellus.* [Hor. *Ep.* 1, 16, 49]

[3, 108] Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo. Cum et ructare et meiere supra dixerit, satis probabile quoque Domitio uisum est, ut etiam excernere nunc consequatur.

[26<sup>v</sup>] Quibus excrementis in auream trullam cadentibus fundus inuertitur. Sed obscena est haec nimis et fetida adulatio, cum presertim non excrementariam, sed uinariam trullam ponat Varro. [Varro, *LL*, 5, 118] Et Horatius in sermonibus scripserit. *Qui Veientanum festis potare diebus / Campana solitus trulla*, [Hor. *Sat.* 2, 3, 143–144] et Martialis nono uolumine *Clinicus Herodes trullam subduxerat aegro / Deprensus dixit. Stulte quid ergo bibis?* [Mart. 9, 96] Quare iudicio meo erit appositior et uerecundior lectio {...} {diuitis uentrem auream trullam denominari, ut post ructare ac meiere, perbelle etiam pedere subsequatur.}

[3, 118] Ad quem [quam] Gorgonei delapsa est penna caballi. Et Valla et Merula, ut ex eorum apparet uerbis, Hippocrenem fontem in Parnaso a Pegaso excitatum referunt. At ueteres in Helicone Pegaseium fontem locauere. Aratus de Pegaso. *Hinc surgit [Assurgit] imago / Gorgonis, hinc [hic] proles in Pierio Helicone, / Vertice cum summo nondum decurreret unda / Museos fontes dextri pedis ictibus hausit. / Inde liquor genitus nomen dedit [tenet] Hippocrenem. / Fontes [Hippocrenen / Fontes] nomen habent, sed Pegasus aethere summo / Veloces agitat pennas et sidere gaudet.* [Germ. *Arat.* 217–223] Ouidius quinto Metamorphoseon libro de Pallade scribens in Heliconem profecta ad Hippocrenem fontem uidendum ait. *Virgineumque Heliconam petit, quo monte potita / Constitit et doctas sic est affata sorores. / Fama noui fontis nostras peruenit ad aures, / dura Medusei quem praepetis ungula rupit. / Is mihi causa uiae /*

[27<sup>r</sup>] *uolui mirabile factum / cernere. Vidi ipsum materno sanguine nasci. / Excipit Vranie. Quaecunque est causa uidendi / Has tibi diua domos, animo gratissima nostro [es], / Vera tamen fama est, et [est] Pegasus huius origo / Fontis, et ad latices deduxit Pallada sacros. / Quae mirata diu factas pedis ictibus undas / Siluarum lucos circumspicit antiquarum.* [Ov. Met. 5, 254–265] Sed et Iginus quoque haec refert. *Hunc Aratus et alii complures Pegasum Neptuni et Medusae Gorgonis filium dixerunt, qui in Helicone Boetiae [Boeotiae] monte ungula saxum feriens [feriens saxum] fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippocrene est dictus.* [Hyg. Astr. 2, 18] Quin et Strabo idem sentit in octauo scribens uolumine. *Vulgatum est etiam caballinum in Helicone fontem erupisse, cum subiectam ibi rupem feriret ungula.*<sup>15</sup> [Strabo, 8, 6, 21] Quibus tam claris auctoribus liquido apparet, non in Parnaso, sed in Helicone longe a Parnaso distante hunc Pegaseium fontem scaturisse.

[3, 174–175] Tandemque redit ad pulpita notum exodium. Quod scribit Merula Tortellium aberrasse, qui exodium pro erogatione posuit, recte scribit. At quod ait Nonium Marcellum et Pompeium Festum in origine et interpretatione huius dictionis parum erudite locutos esse, uideamus an perperam senserit. Finem significare exodium Festus dicit, et Varronis a Nonio allata testimonia idem declarant, et ea est Varronis auctoritas, his {presertim} tam claris grammaticis accedentibus, nemini ut dubium esse debeat, poni pro fine solitum esse exodium. Sed quid prohibet idem uerbum alia in significatione apud Iuuenalem hoc in loco et in secundo uolumine inueniri? Vbi ait *Vrbicus exodio risum mouet Atellanae*, [Iuv. 6, 71] et apud Suetonium in Tiberio scribentem. *Vnde uox [mora] in Atellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percerebruit?* [Suet. Tib. 45, 1] Quanquam si diligenter quid exodium Atellanicum sit reputauerimus, magnam habere cum fine {superioris cantus} proportionem censebimus. [27<sup>v</sup>] Quod ut melius decernere ualeamus, Liuium circiter initium libri septimi ab urbe condita ubi originem scaenicorum ludorum refert audiamus. *Postquam inquit lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res auocabatur, et ludus in artem paulatim uerterat, iuuentus histrionibus actu [fabellarum actu] relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta uersibus iactitare coepit. Quae [Vnde] exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum, tenuit iuuentus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moueantur, et stipendia tanquam expertes artis ludicrae faciant.* [Liv. 7, 2, 11] Haec Liuius. Cuius ex oratione apparet, non simpliciter {omnem} cantum significare exodium, ut Pollucem adducens, scribit Merula, sed ea ridicula intexta uersibus, quae iuuentus Romana iactitabat relicto histrionibus actu. Vnde datur intelligi, {quod} cum finitus ab histrionibus unus esset fabulae actus, donec alius actus inchoaretur, haec ridicula exodia appellata, a iuuentute Romana iactitabantur. <...> {Quia igitur extra uiam et finem superioris actus exodia canebantur} neque in origine neque in interpretatione uerbi ueteres illi auctores aberrauerunt. {Nam qui non ab ἔξω καὶ ὀδοῦ idest extra uiam ut Marcellus ait, sed ab ἔξω καὶ ὀδῆ quasi extra

<sup>15</sup> Fontius hoc loco versione Latina a Guarino Veronensi facta utitur: τὸν δ' αὐτὸν φασὶ καὶ τὴν Ἴππου κρήνην ἀναβαλεῖν ἐν τῷ Ἑλικῶνι πλῆξαντα τῷ ὄνυχι τὴν ὑποῦσαν πέτραν.

cantum exodium componunt, parum aduertunt ὠδῆ per ω magnum naturaliter longum dactilicae huic sedi non conuenire.} Caeterum ab exodio, Exodiarium est deductum Quo uerbo Ammianus Marcellinus libro duodetrigesimo historiarum est usus. *In omni iniquens spectaculo[,] exodiario.* [Amm. 28, 4, 33] }

[3, 186] Ille metit barbam. Georgius Valla perinde hunc locum interpretatur, atque unus quo sit gratior domini aut atriensis serui barbam tondeat, aut pueri qui in delitiis domini sit crinem admutelet et componat. Ego uero non pro eo cliente qui tanquam tonsor crinem tondeat et concinnet, sed pro diuitibus ac patronis accipio, quorum pueri cum primum deponunt barbam aut capillum, festumque ac solemnem depositionis huiusmodi agunt diem, familiares clientesque in eorum gratiam mittunt munera. Vnde etiam repletur domus libis uenalibus. Vetustissimum autem fuisse morem consacrandorum crinum quando primum pueri tonderentur in Thesei uita Plutarchus ostendit scribens. *Vigebat etiam illis temporibus consuetudo, ut qui ex ephebis excessissent delati in Delphos de comis deo primitias darent. Accessit igitur in Delphos Theseus, et loco etiam his temporibus Thesiae ab illo nomen manet.* [Plut. *Thes.* 5, 1]<sup>16</sup> Sic Catullus e Callimacho translato Beroniceos decantat crines Veneri Zophintidi [Zephyritidi] uotos. [66, 55–58] Sic Silius Sarmeos Marti. [Sil. 4, 200–202] Sic Papinius Earineios Aesculapio. [*Silv.* 3, pr] Sic Martialis Encolpios Phebo uotos. [Mart. 1, 31] Sic Nero primam barbam in auream pixidem conditam et pretiosissimis margaritis adornatam Tranquillo attestante Capitolio consecrauit. [Suet. *Nero* 12, 4]

[3, 193] Nos urbem colimus tenui tibicine fulctam. Tibicines appellantur columellae, quibus rustici tecta sua fulcire solent. Vnde Virgilius per translationem sua hemistichia tibicines uocauit. Haec Georgius Valla. A quo equidem libenter didicero, quibus in scriptis tibicines sua hemistichia uocet Maro. Seruius certe super sexti uoluminis uersu *Aspectans siluam immensam et sic forte precatur*, [Verg. *Aen.* 6, 186] ita ait, *Vacat forte, et est uersus de his, qui tibicines uocantur, quibus datur aliquid ad solam metri sustentationem, ut Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* [Serv. *Aen.* 5, 457] *Nec enim possumus intelligere eum fortuito rogasse.* [Iuv. 6, 186] Ex his uerbis non a Virgilio sua hemistichia apparet tibicines appellari, sed esse hunc uersum ex his [28<sup>r</sup>] qui uocantur tibicines, quia sustentatione indigeat, ut stare possit integra eius dimensio, quae in dictione forte locata est. Non enim fortuito precatur Aeneas, sed ne concidat uersus, ea dictio tanquam tibicen subiecta est. Tibicen uero perinde ac publica ad sustinenda aedificia {a Iuuenale nunc} ponitur. Quod uerbum Pompeius Festus ita interpretatus est. *Tibicines in aedificiis dicti existimantur a similitudine tibia canentium, qui ut cantantes sustineant, ita illi aedificia.* [Fest. 18] Sed et Plinius de Petreio loquens libro secundo supra uigesimum tibicinis uocabulo, supra quem insideret, qui tibia caneret, usus est. *Inuenio inquit apud auctores eundem praeter hunc honorem astantibus Mario et Catulo consulibus praetextatum immolasse ad tibicinem.*

<sup>16</sup> Fontius hoc loco fortasse versione Latina a Francisco Philelpho facta utitur.: Ἐθους δ' ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παιδῶν ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης, ἧλθε μὲν εἰς Δελφοὺς ὁ Θησεύς (καὶ τόπον ἀπ' αὐτοῦ τὴν Θησεΐαν ἔτι νῦν ὀνομάζεσθαι λέγουσιν)



[Plin. *Nat.* 22, 11] Ergo tibicen aequiuocum nomen est ad plura se porrigens, quorum significationes diuersae sunt. Etenim a prima origine, qui tibiis canit est. Deinde supra quem tibias inflans residet siue ligneus sit siue lapideus, siue alia quacunquere re positus. Tum non (inflans tibias) modo {tibias inflantem} aedificia etiam sustinens dicitur. Praeterea uersus, qui dictione aliqua non necessaria ad sententiam, sed ad dimensionem accomodata sustineatur dictus est tibicen.

[3, 218] Phecasianorum [Haec Asianorum] uetera ornamenta deorum. Valla Georgius in hunc uersum ita scribit. Hic Asianorum. in aliis legitur Phecasianorum. Et est nomen gentis superstitiosae. Horum meminit Appianus, nec non et beatus Hieronymus contra Iouinianum inquit *Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis obiiciunt senes. Quod cum Alexandri praefectus Phecasianorum*<sup>17</sup> *emendare uoluisset, pene amisit prouinciam*. [Hier. *Iov.* 2, 7] Hactenus Valla. Quem apud Appianum Phecasianam gentem superstitiosam legisse, non uerum est. Etenim quinto uolumine [28<sup>v</sup>] ubi de Antonio loquitur, qui Alexandriam uenerat ad Cleopatram, non Phecasianam gentem superstitiosam commemorat, sed Antonium calciamenta candida assumpsisse, qualia ferre Atheniensium sacerdotes et Alexandrinorum, quos phecasios uocant, consueuerunt. [Caes. *Civ.* 5, 1, 11] Apud Hieronymum uero non Alexandri praefectus Phecasianorum, sed Alexandri praefectus Nicanor scriptum est in omnibus eius codicibus. Neque uero recte aliter scribi potuit. Nam cum Bactrorum Hieronymus morem referat canibus ad id nutritis senes obicientium, tam nefandam atque horrendam consuetudinem Alexandri praefectus Nicanor emendare cum uellet, pene amisit prouinciam, cum Bactri ob eam maxime causam defectionem tentauerint. De quibus Bactris cum loqueretur, non difficile erat cognoscere etiam si menda erat in illo codice, non de Phecasiana gente, sed de Bactriano {rum praefecto Nicanore} Hieronymum scribere.

[3, 220] Hic modium argenti. Idem Valla scribit. Modius et semis unciam facit. Enimvero si uncia constat ex modio et semis, duas unciae partis de tribus partibus eius continet modius. At quae nam haec erat argenti summula gratioso diuiti condonanda? Nonne quis cerneret uel conuiuentibus oculis tam exiguam argenti portiunculam non huic sensui conuenire? Liuius secundi belli Punici libro tertio ab Hannibale post Cannensem uictoriam Carthaginem missum legatum Magonem refert ad fidem tam laetarum rerum effundi iussisse in uestibulo Curiae anulos aureos. Qui tantus acerus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse sint quidam auctores. Fama tenuit, quae propior uero est, haud plus fuisse modio. [Liv. 23, 12] Ex Liuianis his uerbis an uidetur cuiquam modius et semis unciam facere? Sed et Plinius libro [29<sup>f</sup>] duodeuigesimo capite in septimo de frugum generibus tractans modium tritici Gallici uiginti librarum, Transpadani autem quinque supra uiginti, Sardi uero sex et uiginti esse librarum scribit. [Plin. *Nat.* 18, 66] Quin etiam Albaldus de minutis *Duplicatus* inquit *congius in quibusdam prouinciis pro modio accipitur. In pluribus tamen modius sexdecim sextariis accumulatur. Mox uero addidit. Apud Hebreos etiam antiquitus*

<sup>17</sup> Novissime ut *Phecasianum*, *Nicanor Stasanorque* in editionibus apparent.

*perficiebatur modius sextariis duobus et uiginti.* [Comm. 96] Paulo autem superius ostenderat, duplicata hemina sextarium fieri.

[3, 223] Optima Sorae. Sora ciuitas Italiae. Virgilius *Summe deum sancti custos Soractis Apollo.* [Verg. *Aen.* 11, 785] Nam et Sora et Soracte ut multa alia similiter dicitur. Horatius *Vides ut alta stet niue candidum / Soracte.* [Hor. *Carm.* 1, 9, 1–2] Haec Valla Georgius perinde ac Sora et Soracte sint idem refert. At Sora in Campania Volscorum est oppidum, iuxta quod Liris fluius auctore Strabone labitur. [Strabo, 5, 3, 10] De qua septimo ab urbe uolumine inquit Liuius. *Consules dictatoris exercitu ad bellum Volscum usi Soram ex hostibus incautos adorti ceperunt.* [Liv. 7, 28, 6] Soracte uero longo a Sora disiunctus terrarum spatio in Hetruria est mons cuius radices Tybris praeterfluit ad uigesimum situs ab urbe lapidem. Cui hodie sancti Siluestri nomen mutatum est ab eius pontificis aede, quae in cacumine montis ipsius cernitur.

[3, 241] Atque obiter leget. Aduerbum obiter, quod significare uidetur praecise, tali causa. Plinius in prologo Naturalis Historiae. *Vt obiter caueam istos Homeromastigas.* [Plin. *Nat.* pr. 28] Merulae haec est interpretatio, ut praecise et tali ex causa significet obiter. Sed an ita sit ex ipsius uerbi structura consideremus. Ex ob, quod [29<sup>v</sup>] circum significat et iter haec est composita dictio, quasi circum iter. Quae uero circum iter fiunt, intereundum {et in transita} quodammodo fiunt. {Vnde obiter quasi pariter ac simul, interimque designat.}

[3, 247–248] Planta mox undique magna calcor. Valla magnam plantam pro pedibus multorum capit ignarus magnam plantam non ad numerum, sed ad armatae plantae militis latitudinem magnitudinemque referri. Quod statim poeta expressit dicens. *Et in digito clauus mihi militis haeret.* [248] Nam caligis ferreis milites utebantur. Vnde clauus caligarii, quorum capita praeacuta erant, ut firmiter intereundum consistenter, sunt appellati. Ex quo in digito haeret poeta dixit. De his {clauis caligariis} Plinius libro nono, ubi de Larii et Verbanii piscibus loquitur, sic ait. *Squamis conspicui crebris atque praeacutis clauorum caligarium effigie.* [Plin. *Nat.* 9, 69] Item libro secundo et uigesimo de boletis scribens. *Si enim caligaris clauus, si ferri uel chalybis aliqua* [Si caligaris clauus ferriue aliqua] *rubigo, aut panni marcior affuerit.* [Plin. *Nat.* 22, 94] Ab his uero caligis ferreis etiam caligati dicti sunt milites. Iuuenalis in fine operis. *Cum duo crura habeas offendere tot caligatos* [caligas tot] / *Milia clauorum.* [Iuv. 16, 24–25] Suetonius in Augusto de militaribus coronis ab eo donatis referens *Has* inquit *quam parcissime et sine ambitione ac saepe etiam caligatis tribuit.* [Suet. *Aug.* 25, 3]

[3, 249] Nonne uides quanto celebretur sportula fumo. [249] Merula {et qui eum subsecuti sunt,} hoc ita dictum accipi {un}t, uelut ab imperatore opsonia darentur, neci(us){i} quadrantum centum sportulam etiam numero centum conuiuuarum demonstrari. Sensus ergo poetae est, ex sportularum pecuniis hos conuiuas {uel domi parare} uel a coquis opsonia emere pari quaque portione ac simul deinde caenitare. Nam quod adducit de Seneca, nihil ad sportulam pertinet, sed ad coquos et gulam, quam reppendit.

[3, 251] Corbulo uix ferret tot uasa ingentia. [30<sup>f</sup>] Aut est nomen a corbe deductum, aut de aliquo sui temporis Corbulone intelligit parum erudite descripsit Merula. Nam Corbulonis nomen a gestandis deductum corribus nusquam extat. Quod uero ait, aut de aliquo sui temporis Corbulone intelligit. Domitii Corbulonis ingentem famam eum ignorasse non decuit, qui rebus feliciter in Armenia ac Syria gestis innotuit. De {eo Papinius quinto Siluarum libro. *Summam Mauortis agebat / Corbulo*, [Stat. *Silv.* 5, 2, 34–35] et} Tacitus circiter initium libri tredecimi sic scribit. *Itinere propere confecto apud Egeas ciuitatem Ciliciae obuuium Quadratum habuit illuc progressum, ne si ad accipiendas copias Syriam intrauisset Corbulo, omnium ora in se uerteret, corpore ingens, uerbis magnificus [magnificis], et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium ualidus*. [Tac. *Ann.* 13, 8] Ex Tacito apparet Domitium Corbulonem et corpore ingenti et uiribus ualidis extitisse. Vnde ad eius alludens poeta nomen. Vix inquit Corbuloni similis tot uasa et res impositas capiti perferret.

[3, 262] Et sonat. Increpat subaudi praefectus familiae ait Merula hunc sonum pro increpatione praefecti familiae accipiens. In qua sane interpretatione a re ipsa et ueritate discedit. Neque enim ueri est simile hunc hominem praefectum domi habuisse, neque etiam si habuisset, uerborum poetae ordo ad eum referri posset. Membra enim huius orationis inter se sensu et ordine sunt paria. Nam interea inquit segura domus iam lauat patellas, et excitat foculum bucca, et sonat unctis strigilibus et componit lintea pleno gutto. Domus ergo cuncta haec cum faciat, sonat ait poeta, quia in strigilibus tergendis atque ungendis ad molliorem fricationem, ob earum curuitatem sonitus eiusmodi oriatur.

[3, 263] Strigilibus [Strigibus].<sup>18</sup> Valla Georgius strigibus non strigilibus legit, et primum de strigibus auibus superfluo est locutus. Deinde uerba Probi referens nihil refert. Post haec eos, qui strigiles legunt damnat tanquam non aduertentes huius dictionis breuem syllabam primam esse, et huic quoque Iuuenalis sensui non cohaerentes. Denique sententiam suam exprimens striges esse ait herbas uiles ex Plauti carmine [30<sup>v</sup>] *Non condimentis condiunt sed strigibus*. [Plaut. *Ps.* 820] Quae omnia ita confuse refert, ut uix lector quid probet, inueniat. Sed ne de his strigibus nihil penitus ad herbas pertinentibus tanquam de caprina lana frustra rixemur, quod ille de strigilibus renuit maxime, ego contra accipio maxime, quoniam emundando, fricando, astringendoque corpori sunt aptissimae. Quod ita esse uel ex Persii a se contra se ipsum adducto carmine [Pers. 5, 126] nosse potuit, et ex illo notissimo disticho Martialis. *Pergamus [Pergamon] has misit curuo dstringere [dstringere] ferro. / Non tam saepe teret lintea fullo tibi*. [Mart. 14, 51] {Et ex Apuleii Floridorum secundo uolumine ubi ait. *Strigilem et ampullam, caeteraque balnei utensilia nundinis mercari*. [Apul. *Fl.* 9]} Quibus etiam Suetonius accedit de Augusto scribens. *Corpore traditur maculoso dispersis per pectus atque aluum genitiuis notis in modum et ordinem ac numerum stellarum caelestis ursae. Sed et callis quibusdam ex prurigine corporis, assidue et uehementi strigilis usu plurifariam contractis [concretis] ad impetiginis formam*.

<sup>18</sup> Hic *strigibus* ut recta forma a Fontio defenditur.

[Suet. *Aug.* 80] Cum igitur ueteres ante cibum lauarentur et strigili ad tergendum, lintheis ad siccandum, olei gutto ad ungendum corpus uterentur, haecque tria in hoc uersu descripta sint, *et sonat unctis strigilibus et pleno componit linthea gutto*, [262–263] quis non uideat, nisi nimis pertinax esse uelit, non strigibus herbis sed strigilibus siue etiam strigilibus per syncopen legendum esse? At repugnat syllaba {in strigilibus}. Quid tum? Nonne contra morem quae breues sunt pro longis interdum ponuntur syllabae? Inspexi tamen antiquissimum {Francisci Gaddii nostri} codicem Strigilibus et pleno inscriptum. Quem equidem probo, non tam propter syllabam, quae {breuis} {ea i scriptura longa} est, quam propter et sequentem copulam. Nanque superiora membra cum suis copulatiuis particulis sint connexa, hoc ultimum eadem iungi connexione {debere similis ueri est.} {debit. Vnde etiam lucidius apparet a poeta strigilibus scriptum esse.}

[3, 307] Et gallinaria pinus. Georgius idem Valla siluam, quae ad gallinas dicta est, Suetonium adducens interpretatur. Quod longe aliter esse, ut melius possit intelligi, Suetonii, quo auctore nititur, uerba referam. Is in Galbae [31<sup>r</sup>] uitae initio sic scribit. *Progenies Caesarum in Nerone defecit. Quod futurum compluribus quidem signis, sed [sed uel] euidentissimis duobus, apparuit. Liuiiae olim post Augusti statim nuptias Veientanum suum reuisenti praeteruolans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem ita ut rapuerat, demisit in gremium. Cumque nutriri alitem, pangi ramulum placuisset, tanta pullorum soboles prouenit, ut hodie quoque [hodieque] ea uilla, ad gallinas uocetur, tale uero lauretum, ut triumphaturi Caesares inde laureas decerperent. Fuitque mos triumphantibus alias confestim eodem loco pangere. Et obseruatum est sub cuiusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno et silua omnis exaruit radicitus et quicquid ibi gallinarum erat interit.* [Suet. *Gal.* 1] Haec Suetonius. Nunc uideamus, an huic uillae ad gallinas ea conueniant, quae detestatur poeta dicens. *Interdum et ferro subitus grassator agit rem, / Armato quotiens tutae custode tenentur / Et Pontina palus et Gallinaria pinus, / Sic inde huc omnes tanquam ad uiuaria currunt.* [305–308] His poetae uersibus facile datur intelligi et in Pontinis paludibus humectis locis atque siluestribus, et in Gallinaria pinu, hoc est silua pinis refercta, ingentem grassatorum numerum latitare consueuisse, et quoties ad liberanda illa loca atque itinera, militaria praesidia missa essent, grassatores eiusmodi ex illis Pontinis paludibus et Gallinaria silua Romam tanquam ad uiuaria et latronum, consceleratorumque hominum receptaculum refugisse. Quae cum ita sint, quis etiam lippientibus oculis non prospiciat, uillam ad gallinas grassatores illos non insedissemultis de causis. Primum quod in Veientano agro cum ad gallinas Liuiiae uilla sit, mediterraneo loco et urbi Romae propinquo, multisque circum oppidis uillisque culto {ea} non oportuna latronibus sit. Deinde quod in ea uilla nulla fuerit silua, sed lauretum Quas lauros ibi consitas ob earum densitatem si siluam Suetonius appellauit, non propterea suburbano loco ea uastitas esse potuit, ut eam siluam significet, quam poeta demonstrat a grassatoribus circumsessam. Post haec, quod Iuuenalis tempore nulla ibi laurorum silua extiterit, quando, ut idem Suetonius tradidit, nouissimo Neronis anno [31<sup>v</sup>] radicitus exaruerit. Denique quod poeta non gallinaria laurus, sed pinus dixit, et Suetonius non nisi de laurea silua, hoc est de Laureto

Caesareo amenitati et gratiae non furtis et latrociniis oportuno scripsit. Quare cum ab hac uilla Veientana prope urbem Romam poetae sententiam multum abhorrere {demonstrauerimus, nunc,} Gallinariam pinum in Cumano sinu piratis et grassatoribus oportunam {poetae conuenire} Strabone attestante aperiamus. Is in quinto uolumine sic scribit. *Hocque in sinu fruticosis uirgultis frequens et arboribus silua est multis porrecta stadiis aquarum indiga, caeterum sabulosa, quam gallinariam uocant siluam. Hic Sexti Pompeii classis praefecti piratica struxere nauigia qua tempestate Siciliam a Romano desciscere fecit imperio.*<sup>19</sup> [Strabo, 5, 4, 4] Hactenus Strabo. Vides hic omnia poetae sententiae respondentia. Haec enim Gallinaria silua ultra Pontinas paludes in Cumano sinu, de quo ibi Strabo loquitur, sita est, {Ea quoque} ad multa stadia est porrecta, ut multos continere latrones possit, uirgultisque et arboribus est frequens, ut etiam eos possit occulere, ea pinetis abundat, quondam cum ibi Sexti Pompeii classis structa fuerit, ex pinis autem maxime naues fiant, et poeta pinus Gallinaria dixerit, omnia secum consonant hanc siluam Gallinariam Strabonis, esse pinum Gallinariam Iuuenalis.

*In Quartam satyram.*

[4, 17] Vt perhibent qui de magnis maiora loquuntur. [17] Periphrasis est, ut ait Domitius assentatorum, qui uolentes excusare Crispinum, affirmant mullum fuisse sex millium librarum, necui mirum sit, si six millibus emit. Verum quae assentatio ac non potius {ut ita dixerim} insensatio ista foret, si, quod omnem excedat fidem, bilibrem, aut trilibrem mullum sex millium librarum fuisse quis dixerit? Sed quoniam sestertium mille numis constare ignorauit Domitius, ignarus sex milia numum, sex esse sestertia, non aduertit eos, qui de magnis maiora loquuntur, duplicato [32<sup>r</sup>] pondere mullum sex librem, sex aequantem sestertia paribus libris dixisse.

[4, 53] Armillato. Vel armillis donato, uel coronato legit Merula. Sed si conditionalis particula iterum posita, Armillatum uel proprium uiri nomen, uel cognomen esse significat.

[4, 60] Vtque lacus suberant. hoc est tantum festinat is pedibus, ut cum lacus suberant, properabat, et natatu aquarum celerius euehebatur, scribit Georgius Valla. Quibus uerbis, quid ipse sentiat, equidem ignorare me fateor. Nam neque de pedum festinatione quicquam refert poeta, neque etiam quod aquarum natatu eueheretur celerius. Est enim eorum uerborum talis ordo et sensus. Postquam ad lacus Albanos uenerunt, ubi Alba quanquam diruta seruat ignem Troianum et minorem Vestam, turba miratrix parumper obstitit intranti.

<sup>19</sup> Fontius hoc loco fortasse versione Latina a Guarino Veronensi facta utitur: ἐν δὲ τῷ κόλπῳ τοῦ τῶ καὶ ὕλη τις ἐστὶ θαμνώδης ἐπὶ πολλοὺς ἐκτεινομένη σταδίους ἀνδρὸς καὶ ἀμώδης, ἣν Γαλλιναρῖαν ὕλην καλοῦσιν. ἐνταῦθα δὴ ληστήρια συνεστήσαντο οἱ Πομπηίου Σέξτου ναύαρχοι, καθ' ὃν καιρὸν Σικελίαν ἀπέστησεν ἐκεῖνος.

[4, 67] Propera stomachum laxare saginis [sagina]. Ad saginas hoc est ad piscis pingue.<sup>20</sup> In quibusdam est iactare sagictis. Et hac lectione hunc locum Probus exponit, ut sit sagictis idest curis, uel certe exercitationibus sagictarum stomachi tibi compara decoctionem. Hactenus Valla Georgius. Cuius prima interpretatio de piscis pinguedine, uera in sensu est, sed ordo uerborum parum Latinus est. Non enim saginis idest ad saginas dicendum fuit. Nam laxatur saginis, non ad saginas stomachus, hoc est esu saginati et pinguis rombi. Secunda uero sagictarum ex Probi uerbis interpretatio ridicula est. Non enim sagittarum exercitationibus laxatur stomachus, sed recreatur animus. Laxare ergo stomachum pro comparare decoctionem stomachi exercitio sagictarum non recte posuit. Nihil enim aequae contrarium est concoctioni quam relaxatio stomachi.

[4, 77] Pegasus. Fuit et Pegasus triarchi filius, cuius nauis Pegase monumentum accepit.<sup>21</sup> Quae haec praeter rem ab eodem Valla relata Pegase nauis fuerit, ut ingenue fateor me nescire, ita scio Pagaseiam nauim Argo esse, a Pagasis Thessaliae urbe maritima nominatam. Vnde in Colchos nauigans soluit Iason. De qua Valerius Flaccus primo ait uolumine. *Et Oebalium Pagaseia puppis alumnum spectet.* [Val. 1, 422–423] [32<sup>v</sup>]

[4, 105] Rubrius. Hic temporibus Domitiani fuit. Sed ex huius nomine alludit ad antiquum Rubrium, qui temporibus Neronis deprensus in coniuratione Pisoniana. Haec Domitius scribit aberrans in nomine. Ille enim, de quo Tacitus in coniuratione Pisonis refert, Subrius Flauius [Flauus] praetoriae cohortis tribunus fuit. [Tac. *Ann.* 15, 49] Hic autem Rubrius, cuius meminit Iuuenalis, longe est ab illo diuersus. At quod mox ait Domitius de eodem Flauio Subrio, Et tamen hic quamuis ita audax, erat tamen improbius, ut ait Iuuenalis ipso Nerone, qui satyram scripsit in Quintianum, appellauitque eum mollem et effeminatum ipse cynaedus. Nam nupserat Pythagorae, [Tac. *Ann.* 15, 37] Duabus in rebus aberrauit. Primus est error, quod Subrium improbiorem Nerone scripserit. Tacitus enim minime eum effeminatum ac mollem fuisse ostendit his uerbis. *Mox eorundem inditio Subrius Flauius [Flauus] tribunus praeuertitur [peruertitur], primo dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum. Dein postquam urgebatur, confessionis gloriam amplexus, interrogatusque a Nerone, quibus causis ad obliuionem sacramenti processisset, Oderam te inquit, nec quisquam fidelior militum fuit tibi [tibi fidelior militum fuit], dum amari meruisti. Odisse coepi postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius extitisti.* [Tac. *Ann.* 15, 67] Secundus error est, cynedi Neronis interpretatio nihil ad poetae sensum pertinens, eos cynaedos intelligentis, qui cum turpes ipsi sint, satyricae tamen alios carpunt ac si pudici et probi essent. Praeterea Neronem scripsisse satyram nemo ueterum dicit. Neque uero id Tacitus, unde Domitius hoc prae detorsit, sensit, ubi ait in eiusdem coniurationis initio.

<sup>20</sup> Sic!

<sup>21</sup> Scholion alterum a Valla citatum est: *filius trierarchi, ex cuius Liburnae parasemo nomen accepit.* Edward Champlin, *Pegasus*. ZPE 32 (1978) 269.

*Quintianus mollitie corporis infamis et a Nerone probroso carmine [33<sup>r</sup>] diffamatus, contumeliam ultum ibat.* [Tac. Ann. 15, 49] Non enim ut quisque probrosum carmen in quempiam scribit, satyram etiam scribit. Est enim iambo infame illud carmen conuenientius, ut in Catullo apparet atque Oratio.

[4, 137–138] Noctesque Neronis iam medias Contraria inter se refert Domitius Neronem prius, mox Domitianum satyrica hyperbole accipiens, cum Iuuenalis Neronem simpliciter intelligat. Ait enim Montanum ingentem testam parari, ut piscis integer coqueretur, in gratiam Domitiani consuluisse, quia iampridem nouerat imperatorum luxuriam et ad mediam noctem protracta Neronis conuiuia. Neque uero non optime nosse potuit, quando a Nerone ad Domitianum uix annorum quindecim spatium intercesserit.

[4, 147] Tanquam de Gethis [Chattis]. Miratur Merula Iuuenalem primam in Gethis syllabam produxisse, mendosisque codicibus pro Cattis, Gethis esse transcriptum putat. Valla quoque Georgius de Cathis scribit. A quibus ut dissentiam codicum omnium consentiens in Gethis scriptura facit. Neque uero antiquis poetis unquam obstitit syllaba, ut qui eos attente legunt, usitatissimum esse sciunt. Neque etiam scriptores librarii decipi similitudine litterae potuere. Nam si conformitate decepti essent, Gothis potius, qui iidem sunt populi, descripsissent.

#### *In Quintam Satyram*

[5, 1] Si te propositi nondum pudet. Hos uersus longe aliter accipi a Domitio et Georgio Valla uideo, quam senserit Iuuenalis. Etenim scribit Domitius. Quamuis tibi iuranti, quod scilicet non pudeat et possis ferre non ausim credere, ac si dicat. Scio certe te ipsum sponte tua pudere. Valla autem scribit. Quamuis metuam credere tibi testi iurato, qui dicas, nihil noui frugalius uentre meo. Quibus diuersis inter se uerbis, quod facile ac rectum est perperam interpretando [33<sup>v</sup>] confundunt. Ordo autem et sensus est. Si te nondum pudet propositi atque eadem est mens, ut putes esse summum bonum, uiuere aliena quadra, et si potes pati illa obprobria, quae nec Sarmentus, nec uilis Galba [Gabba] tulisset ad iniquas mensas Augusti Caesaris, equidem metuam credere tibi quamuis iurato. Etenim cum uiles homines parasitae sint, multaque scurrulia loquantur ac qualia tota in satyra commemorat obprobria patiantur, ne digni quidem etiam sunt, ut iuratis quoque ipsis de more testibus fides habeatur. Deinde uero ex persona sua loquens poeta subsequitur. Ego nihil noui frugalius uentre. Nam nisi gulosi simus, paucis et uulgaribus cibis explemur. Attamen puta etiam defecisse tibi quod sufficit ad inanem aluum explendam, nonne praestat, qualiacunque comedere, quam contumeliose apud alios caenitare?

[5, 10] Cum possis [possit] honestius. Valla idem honestius pro copiosius exponit. Qua interpretatione nihil inconcinnius. Nam sensus poetae est. Cum minore hic rubore, uerecundiaque et frigus et famem ferens, quam in copiosa diuitis caena contumelias et iniurias patiere.

[5, 72] Salua sit artocopi [artoptae] reuerentia. Non artocopi idem Valla sed artoptae legit. Quae scriptio nullis apparet in uetustis codicibus, tametsi contra ipse citat emendatissimos codices. Caeterum artopta cum sit artocopi uas, quo panis torrebatur {uel etiam mensa †pararetur†},<sup>22</sup> artocopus uero pistor sit, longe maior est artocopi reuerentia quam artoptae. Quanquam artocopus hoc in loco, arte laboratus panis accipitur. Cuius merito saluam fore reuerentiam uult, ac propterea conuiuiae pauperi non tangendum.

[5, 97] Instruit ergo focum prouincia. Instruit inquit Georgius Valla, quoniam incorrupti Romam deferri non possunt. At poeta non in prouincia coqui pisces, quod incorrupti Romam deferri nequeant, nisi prius decoquantur, intelligit. Sed prouinciam Romano macello inseruire ostendit, et in prouinciali aequore captos pisces Romam deuctos focum instruere, quoniam decoquantur in Romanis culinibus.

[5, 98] Quod captator emat Lenas, Aurelia uendat. Lenam et Aureliam scribit Merula esse nomina hereditates captantium pretiosis muneribus. Quorum alterum in Lena uerum esse, alterum in Aurelia falsum, facile cernitur. Nam poeta teste ab aliis Aurelia captabatur scri- [34<sup>f</sup>]bente pisces huiusmodi a captatore Lena donatos eam diuendere postea consuesse. Captari uero solitam Aureliam ostendit Plinius libro epistolarum secundo ad Caluisium scribens his uerbis. *Aurelia ornata femina signatura testamentum sumpserat pulcherrimas tunicas. Regulus cum uenisset ad signandum, Rogo inquit has mihi leges. Aurelia hominem ludere [ludere hominem] putabat. Ille serio instabat. Nec [Ne] multa. Coegit Aureliam aperire tabulas, ac sibi tunicas, quas erat induta, legare.* [Plin. Ep. 2, 20, 10–11] Ex his facile apparet, Aureliam non esse captantis nomen, sed quam appeterent captatores.

## LIBER II

### *In primam satyram secundi uoluminis Iuuenalis*

[6, 38] Sed placet Vrsidio lex Iulia. Quam contra adulteros Augustus tulit, scribit Merula. Sed si diligentius Poetae propositum inspexerimus, non de lege in adulteros lata, sed de maritandis ordinibus scriptum hoc esse uidebimus, cum presertim poeta subiunxerit, *Tollere dulcem / cogitat heredem.* [38–39] Cui rei adstipulatur Suetonius in Augusto haec ad uerbum scribens. *Leges retractauit et quasdam ex integro sanxit, ut sumptuariam et de adulteris et de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus. Hanc cum aliquanto seuerius quam caeteras emendasset, prae tumultu recusantium perferre non potuit, nisi adempta demum, lenitae parte poenarum et uacatione triennii data, auctisque praemiis. Sic quoque abolitionem eius publico spectaculo pertinacius [per-tinaciter] postulante equite, accitos Germanici liberos, receptosque partim ad se, partim in patris gremium ostentauit, manu, uultuque significans, ne grauarentur imitari*

<sup>22</sup> Incerta lectio.



*iuuenis exemplum. Cumque etiam immaturitate sponsarum et matrimoniorum crebra mutatione uim legis eludi [34<sup>v</sup>] sentiret, tempus sponsas habendi coartauit, diuortii modum imposuit.* [Suet. Aug. 34] His uerbis perfacile est uidere, legem Iuliam ab Augusto latam de maritandis ordinibus Vrsidio placuisse dulcem heredem filium suscipere cogitanti. Quae lex ob augendam sobolem assiduis absumptam bellis ciuilibus ab initio lata est. Cuius etiam legis Horatius in saeculari carmine meminit scribens. *Diua producas sobolem, patrumque / Prosperes decreta super iugandis / Feminis, prolisque nouae feraci / Lege marita.* [Hor. Saec. 17–20]

[6, 39] Cariturus turture magno. Pisce, quem solent mittere captatores ait Georgius Valla. Sed cum turtur is piscis sit, qui τρυγών a Graecis, a nostris auctore Plinio pastinaca dicitur, neque eius saporis, neque nominis, ut ullam aestimationem in coquinis unquam habuerit, praestat turturem auem intelligi suauem gustui et lautorum caenis pergratam et captatoribus commodam.

[6, 44] Quem toties texit perituri cista Latini. Quae Domitius de Latino submittente uxorem refert his, quorum delationem apud imperatorem timeret, quaeque Probum adducens describit Merula, quia satis superque prima in satyra in uersu, *et a trepido Thymele submissa Latino*, [Iuv. 1, 36] falsa esse demonstrata sunt, ea tantum, quae huic loco maxime conueniant, ostendemus. Quid inquit Iuuenalis fieri non posse putes, si Vrsidius uxorem ducit, stultusque maritale laqueum collo nectit, cum crebris adulteriis impudicitiam feminarum cognouerit, ut qui toties superuenientem maritum sub cista latens metuerit adulterii conscio eum tegente et sibi etiam timente, quoniam in adulterum et adulteram et adulterii conscios poena esset legibus constituta, dicente etiam Horatio {libro sermonum secundo} *Quid refert uirgis uri [uri uirgis], ferroque <s>{n}ecari / Authoratus eas an turpi clausus in arca, / Quo te demisit peccati conscia herilis, / Contractum ut genibus [contractum genibus] tangas caput.* [Hor. Sat. 2, 7, 58–61] [35<sup>v</sup>] Igitur quem toties texit perituri cista Latini, significat quem toties intra arcam clausit conscius adulterii, grande malum passurus si adulter deprenderetur. Quem etiam periturum dixit ad nimium pauentis metum respiciens. Latini autem propterea meminit, quod Latinus mimus eam rem ludicram iam saepe in scaena egerat. Sed in Latino, quencunque conscius adulteriorum Vrsidii debemus accipere.

|

—

|

—

|

—

|

—